

Adenographia curiosa et uteri foeminei anatome nova ... / Accedit in hac nova editione dissertatio anatomico-medica inauguralis, de motu bilis circulari ejusque morbis, olim publice proposita a ... Mauritio van Reverhorst.

Contributors

Nuck, Anton, 1650-1692
Reverhorst, Maurits van, 1666-1722

Publication/Creation

Leyden : S. Luchtmans, 1722.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wymm2fnn>


License and attribution


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>







D. IV. e

38944/A

S
20/6/06
767

37. C. 15692

NUCK

ADENOGRAPHIA
CURIOSA
ET
UTERI FOEMINEI
ANATOME NOVA.

Authore

ANTONIO NUCK, Med. Doct.

*In Academia Lugduno-Batava Medicinæ Anatomicae
Professore, & Collegii Chirurgici Præside.*

Accedit in hac nova Editione

DISSERTATIO
ANATOMICO-MEDICA
INAUGURALIS,
DE
MOTU BILIS CIRCULARI
ejusque morbis,
OLIM

Publicè proposita à Clarissimo VIRO

MAURITIO VAN REVERHORST,

h. t. Anatomes Professore Hagæ-Comitis.

15692





A. NUCK.
ADENOGRAPHIA
&
UTERI
ANATOME NOVA
EDITIO ALIIS AVCTIOR.

Lugd: Batav: Apud Samuelem Luchtmans.

84

49429
48
*ILLUSTRISSIMIS,
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMISQUE
ACADEMIÆ LUGDUNO-
BATAVÆ*

CURATORIBUS,

D. J A C O B O,
BARONI DE WASSENAER,
Domino de Obdam , Hensbroek,
Spierdijk , Wochmeer , Zuydwijk,
Kernhem , &c. Equestris Hollandiæ
Ordinis nomine ad Confessum Cel-
fissimorum Fœderati Belgii Ordini
Deputato ; Militiæ Equestris
Præfecto ; Urbis Willemstadii , Clun-
dert , &c. Gubernatori , Aggerum
Rhenolandia Adfessori.

D. CONRADO VAN BEUNINGEN,
J. C. Reipublicæ Amstelodamensis
Viro Consulari , apud Potentissimos
Reges, Fœderati Belgii Exlegato.

D. CORNELIO TERESTFYN VAN
HALEWYN, J. C. Senatori Urbis
Dordracenæ , ejusque vice Supremi
Fœderatarum Civitatum Concilii
Adfessori. Curia Hollandiæ quon-
dam Senatori.

*Eorumque Collegis Magnificis,
Reipublicæ Leidensis*

CONSULIBUS,

D. JOANNI VAN BANCHEM,
Præfidi.

D. DANIELI VAN ALPHEN, J. C.

D. JACOBO VROMANS.

D. CORNELIO WITTENS, J. C.

NEC NON

*Consultissimo Prudentissimoque
VIRO,*

D. JOANNI VANDEN BERG, J. C.
I. I. D. D. Curatoribus à Secretis.

*Salutem & Felicitatem
precatur*

ANTONIUS NUCK.

DE-



DEDICATIO.



Umma solet Viatoribus & Geographis esse voluptas , si Terras novas , Maria & Flumina Macrocosmi incognita aperire , & aperta delineare valeant ; ad quæ mercator impiger , ut sibi opes quærat , anhelans excurreret : sed , quâvis adhibitâ diligentia , semper superfuerunt Terræ & Maria Incognita.

Idem in Microcosmo locum habere , multiplici experientia edocti affirmare auderemus. Quæ & quales in eodem supersunt Terræ ! quas laboriosus , & indefessus Indagator detegere hætenus non potuit : qui Fluvii & Aquarum Tractus in eodem latitant Microcosmo ! quæ subtilissimis invenire , & maximè lynceis videre non licuit : ita ut hac ratione Hospites adhuc videamur in propria Patria.

DEDICATIO.

Dat tamen hora, quæ hora negat, & quæ labore improbo sæpe perfici nequeunt, auspiciatò subinde, & viâ faciliiori perscrutanti patent.

Illud ipsum nobis, *Mecænates Optimi*, nuperis contigit annis: sæpe viribus penè exhaustis Microcosmi interiora perlustrare cupientes, passim vias, quas patulas sperabamus, occlusas non tantùm, sed tot spinis obsessas invenimus, ut inquirentibus vix possibile videretur ulterius progredi. Tandem, bonis avibus, eò usque, sed novis & iteratis aggressionibus, pervenimus; ut Terras non tantùm Incognitas, sed varias Aquarum Scaturigines, & Flumina amplissima, velis quasi expansis, pernavigare liceat.

Quas autem inde nobis comparavimus opes, non mercatoriam sapiunt lucri cupiditatem, sed longè utiliores; quippe ad Sanitatem promovendam, quâ nihil proficuum magis esse potest, unicè conducunt, & utriusque valetudinis, tam secundæ quàm adversæ, fundamenta ita lustrant, ut remedia, partibus affectis ad-mota, eventu agant certiori.

Quum

DEDICATIO.

Quum jam naturæ legibus sit sancitum, Macrocosmi Scaturigines, quotquot sunt Aquarum omnes, ad suum centrum, Oceanum scilicet, moveri: quid mirum, *Viri Illustres*, & hanc laborum nostrorum messem, ad *Vos* quam citissimè avolare? ad *Vos*, quos jure merito, tanquam beneficum suum Solem & centrum unicum veneratur Scriptor. Tam alta enim in nobis beneficiorum Vestrorum impressa profitemur vestigia, ut eadem, deleri nescia, grati animi nostri, & debitæ observantiæ, perpetuum præbere debeant testimonium.*

Hoc opus ut in Vestrum, *Viri Benefici*, patrocinium recipiatis, nosque porro solito Vestro favore complectamini, unicè obtestamur. Deum Omnipotentem supplices oramus, ut *Vos* diutissimè fospitet, certi cum Vestra incolumitate Academiae non tantum, sed & Ecclesiæ, imo Reipublicæ felicitatem conjunctam esse. Scripsi Lugd. Batav. Tertio Non. August. A. C. MDCCXCI.

P R Æ F A T I O.

N E cramben , non tantum
bis , sed pluries recoctam
apponere videar , & aliis
jam diu traditis , repetitio-
ne molestâ , Lectorum ani-
mos fatigem ; satius esse du-
xi , varia hic proferre , quæ Anatomicis
nec visa nec demonstrata fuere , & propter
molestissimam eorum indagationem , hæte-
nus aut omissa aut neglecta.

Multum interea nos debere fatemur
Viris illis Clarissimis , qui Vasa quædam
Lymphatica , primum detecta , publicis
scriptis evulgârunt : inter quos laudem
sanè egregiam merentur Th. Bartholinus
Danus , Olaus Rudbeckius Suecus , &
Jolivius Anglicus. Verum quotquot fue-
runt , ex brutis animantibus tantum ea-
dem eruere conati sunt ; parum solliciti
de Cadaveribus humanis , in quibus ta-
men , quanto inventionis major est neces-
sitas , tanto etiam ea detegendi major est
difficultas.

Non

P R Æ F A T I O.

Non desuit tamen Cl. Bartholinus labore improbo eadem prosequi ; sed opus arduum esse hysce conqueritur verbis (cap. 2. Hist. Vas. Lymph.) Quum publicè privatimque complura hominum cadavera , anatomico cultro dividerem , quamquam anxia de Vasis Lymphaticis cura volveretur , non potui tamen , nescio quo oculorum fascino , ulla accuratius distinguere Tandem fibrillas aliquot notavit , ab hepate productas : nec non vas unum aut alterum lymphaticum circa ramum mesentericum & splenicum , non sine animi sui lætitia , observavit. Verùm Lymphaticorum Historiam hætenus distinctè non fuisse propositam , sequentibus indicat. Quid plura ? nobis in præsenti ad amici curiosi requiem satis visum , orbi Literato significare , eadem Vasa Lymphatica in humano circulo & claudi & detegi posse. Alii , quibus aut pinguis otium , aut majus frequentiusque cum natura commercium , nostris in homine inventis , ultimam imponant humanum , nulli laudem auctam invidemus , nullos ex gaudii hujus possessione
ex-

P R Æ F A T I O.

excludemus, sit palma in medio relicta, modò nobis prima inventi gratia, ex merito, ut confidimus, relinquatur.

Nobis tamen, (quod absque arrogantia dictum velim) adeo felices esse contigit; ut non tantum in vivisectionibus brutorum animantium, eorumque cadaveribus, sed & in omnibus ferè, quotquot nobis offeruntur, cadaveribus humanis, eadem sine notabili detegere valeamus difficultate.

Rei hujus veritas ex sequentibus pagellis constabit; quæ, præmissâ Adenographiâ Novâ, Vasorumque Lymphaticorum Ortu atque Structura; Uteri Ovaria, Arteriæ Magnæ & venæ Cavæ portiones, nec non Vasa, Emulgentia vulgo dicta, unâ cum Renibus repræsentabunt, ex Subjecto Humano extracta. Quas partes, Lymphographiæ nostræ constituentes partem, simul exhibere necessarium judicavi, quòd propter mutuum Vasorum Lymphaticorum contactum, talis sit consensus atque connexio, ut fabrica eorum separatim pertractari ferè nequeat.

Uteri

P R Æ F A T I O.

Uteri autem, partiumque annexarum faciem posticam exhibere placuit; ut Vasorum Lymphaticorum Ortus & Progressus, quod aliàs fieri vix potest, clariùs conspiciatur. Quomodo autem viscera dicta suis exornentur Vascularibus Lymphaticis, ex circumferentia ad Saccum Chyliferum, tanquam ad suum centrum sint tendentia, digito quasi notatum videbis.

Onus hocce, humeris fortè meis impar, & perscrutanti tædiosum molestumque, lubens tamen eâ suscepi spe; ut animi quâdam alacritate, devoratis tot tædiis, & superatis tot laboribus, Reipublicæ Anatomicæ & Medicæ sim profuturus: ut hisce nostris inventis, morborum variorum facilius daretur indagatio, medicamentorumque, pro restituenda Sanitate, certior applicatio.

Lymphographiæ, quod offertur, specimen, ubi Lectori non ingratum percepero, ad alias transiture sum partes, non minus quàm hæ, Lymphaticis Ductibus superbientes. Et ne quispiam dubitet partium hic oblatarum, aut in posterum offerendarum, fabricam talem revera existe-

P R Æ F A T I O.

existere , illi structuram illarum , non uno modo preparatarum , in ædibus meis dabo conspiciendam.

Unicum , mi Lector , adhuc monendum habeo : me hoc in opusculo , ubi Anatomicum ago , singularem Latinitatis curam non adhibuisse. Materia enim ipsa , nec temporis angustia talia permisere. Nihil curo maledicorum quorundam mores , qui , ut linguam venenatam acuant , ea etiam carpunt , quæ non capiunt. Tu verò , Benevole Lector , pro solito tuo candore , judica ; si erratum alibi , & nonnulla , præ festinatione nimia , & absentiae culpâ , minus prudenter hinc inde occurrant inspersa ; Hominem me esse cogita ; Vale.

IN
ADENOGRAPHIAM
CURIOSAM,
ET
UTERI FOEMINEI
ANATOMEN NOVAM
CLARISSIMI VIRI
ANTONII NUCK,
*Medicinæ Anatomicae Professoris
ordinarii in alma Academia
Lugduno-Batava.*

State viri, *Medicæ quibus Artis gloria cordi est,
In tenebris vobis emicat alma dies.*
*Nuccius ignotos Microcosmi delegit Orbes,
Fluminaque & fontes, vivaque prata notat:
Glandiferas toto dispersas corpore sylvas,
Et quo quaque modo, quodque revolvat opus;
Pinea quas falso sibi dotes arroget arbor,
Quæ Mentis vacua est, & ratione caret:
Quas puri latices irrorent undique terras,
Et quæ contineant interiore sinu:
Fœmineos Uteri saltus, mirabile mundi,
Et sacrum, ut Tempe Thessala, delictum,
Pan-*

*Pandit, & obscuros antiquis Patribus agros,
Quorum ex fœcundo flammula fonte micat,
Quæ valido incensas mentes rapit impete, & unde
Progenies hominum continuata fluit:
Hæc blandam Venerem ridentes inter Amores
Luco in odorifero Myrteaserta tegunt.
Inde mamillarum duo pulvinaria monstrat,
Interius miris conglomerata modis:
Harum non Prisco, nostro non hætenus ævo,
Quam Natura dedit, fabrica nota fuit.
Desine, Tiphii, tuos posthac memorare labores,
Cum nova pars terræ, te præeunte, patet.
Plurima adhuc restant, oculis incognita nostris,
Quæ nec longa dies, nec tua cura dedit.
Nuccius æternæ subiectum nobile Mentis
Rimatus, totum perspatiat opus;
Et nihil intactum manibusque oculisque relinquit,
Vestigans minimas undique particulas.
Quantum Mens agilis pigro sublimior Orbe est,
Tantum anteit meritis noster Apollo tuis.*

D. LIEBERGHEN.

ADE-

ADENOGRAPHIÆ

CAPUT PRIMUM.

DE

Glandulis in genere.

INter tot admiranda,
machinam humanam
componentia, corporu-
scula occurrunt, variæ
magnitudinis, globosæ
sæpe aut ovalis, & ut plurimum de-
pressæ figuræ, quæ Græcis *Α'δέναι*,
Latinis *Glandulæ* vocantur, qua-
rum primitiva vox *Glans* videtur,
significans fruges quercinas, fagi-
nas & arboreas omnes, putamine
tam duriori, quàm tenuiori investi-
tas, has Anatomici hodierni vocant
Glandulas Conglobatas.

*Glan-
dulæ
quid
sint?*

Occurrunt præterea & alia cor-
pora, planiformia magis, inæqua-
lia, figurâ irregularia, ex minoribus
glandulis conglomeratis firmiter
inter

*Earum
Diffe-
rentia.*

inter se cohærentia , & communi membranâ tecta , *Glandularum* , sed *Conglomeratarum* nomine ordinario venientia. De quibus infrâ.

Glandulis hisce , prout in variis Microcosmi partibus conspiciuntur , varia Rerum Anatomicarum cultores imposuere nomina ; aliæ quippe Pineales , quædam Pituitariæ , Maxillares , Amygdalæ , Parotides , Salivales , &c. vocatæ fuere , quarum Historiam , rem licet arduam , sed maximè necessariam , eâ quâ potero brevitate , exponam : non enim idem cum Clarissimo Lindano sentio , ubi inquit ; *Glandularum Historiam post Hippocratem meditari velle , tantundem esse , ac Iliada post Homerum*. Qui enim ex Veterum scriptis , sive Arabes fuerint , sive Græci , Glandularum fabricam usumque eruere conantur , vehementer quidem , meo judicio , errant ; verùm incognita hæcce Veteribus , aut nullius usûs fuisse habita , expressis verbis Magnus Fernelius

Et structura
Veteribus fuit
incognita.

nelius profitetur ; qui postquam
duum generum proposuerat Glandulas ,
Densiores scilicet & Molliiores ,
statim concludit hisce verbis ;
*Quas singulatim recensere , fastidiosum
magis , quàm utile putavi ; sic
neque figuram earum aut magnitudinem
prosequi commodum est.*

Restitutionis suæ primordia ,
glandulæ tam Conglobatæ , quàm
Conglomeratæ ; Clarissimis Viris ,
Wirtzungo pariter ac *Warthono* ,
nec non acutissimo *Stenoni* , debent ;
qui glandularum non tantum
Figuram & Magnitudinem , verum
etiam vasorum egressum ingressum-
que demonstrarunt ; & glandula-
rum ima quamvis non perlustrave-
rint , usumque verum ipsis (loquor
de Conglobatis) non adscripserint ,
non possumus tamen , quin eorum
in perscrutando diligentiam maxi-
moperè extollamus.

Clarissimus *Malpighius* structu-
ram Glandularum Conglobatarum
curiosè quidem proposuit , sed , ut

pace tanti Viri hoc dicam , longè aliter earum fabrica nobis fuit oblata. Sive enim vaforum lymphaticorum introitum exitumve examinemus , sive glandulæ interiora perscrutemur , passim quædam occurrent , quæ Anatomicorum Filii nondum viderunt , aut saltem scriptis suis necdum communicârunt.

Glandularum totius corporis series,

Præterea in eo deficiunt , quotquot fuerunt Anatomici , quòd glandularum seriem , in machina humana , necessariò tamen servandam , nemo rectè tradiderit. *Warthonus* plurimas quidem proposuit , sed multas intactas reliquit , uti sequens Catalogus , præter jam cognitæ , etiam quæ nostræ inventionis sunt (à supremo vertice ad infimum usque pedem) notans varias , demonstratum dabit.

Glan-

*Glandularum tam Conglobatarum
quàm Conglomeratarum
Catalogus.*

1. Glandula Pinealis.
2. Glandulæ Plexûs Choroidæi.
3. Glandulæ cerebri substantiam
Corticalem constituentes.
4. Glandula Pituitaria.
5. Glandosa membrana Canthi ma-
joris & oculo externè ad-
fita.
6. Glandula Innominata.
7. Glandulæ Aurium sive meatûs
auditorii.
8. Glandula Subpalpebralis.
9. Glandula Parotis.
10. Glandulæ Labiales supernæ &
infernæ.
11. Glandulæ Maxillares internæ
& externæ.
12. Glandulæ Amygdalæ dictæ,
sive Tonsillæ.
13. Glandulæ Hypoglottidis.
14. Glandulæ Uvulares.
15. Glandulæ Linguales.

16. Glandulæ Palatinæ.
17. Glandulæ Occipitales.
18. Glandulæ Cervicales.
19. Glandulæ Laryngis five Thyroidis.
20. Glandulæ Oesophagææ.
21. Glandulæ Supra-scapulares.
22. Glandulæ Sterni.
23. Glandula Thymus.
24. Glandulæ ad bifurcationem Venarum Subclaviarum locatæ.
25. Glandulæ Axillares.
26. Glandulæ Mammarum.
27. Glandulæ Submamillares.
28. Glandulæ Pulmonum.
29. Glandulæ Diaphragmatis.
30. Glandulæ Jecoris.
31. Glandula Cystica.
32. Glandulæ Venæ Portæ ad concava hepatis locatæ.
33. Glandulæ Lienis.
34. Glandula Pancreas.
35. Glandulæ Ventriculi supernæ & infernæ.
36. Glandulæ Renes Succenturiati dictæ.

37. Glandulæ Intestinorum.
38. Glandulæ Mesentericæ.
39. Glandulæ Mesocoli.
40. Glandulæ Lumbares.
41. Glandulæ Omentales.
42. Glandulæ Renum.
43. Glandulæ Iliacæ.
43. Glandulæ Sacræ.
45. Glandulæ Inguinales five Cru-
rales.
46. Glandulæ Testium.
47. Glandulæ Prostatæ.
48. Glandulæ Uteri.
49. Glandula Musculi Sartorii.
50. Glandulæ circa Flexuras Cu-
biti & Genu.
51. Glandulæ Manuum.
52. Glandulæ Pedum.
53. Glandulæ Subcutanæ.

Quum jam enumeratæ hæ glandulæ, figurâ suâ, & magnitudine multum discreparent, seculi hujus Anatomici eas in *Conglomeratas* & *Conglobatas* distinxerunt, nec de-
fuerunt, qui novam formarunt di-
visionem, & Conglomeratis Con-

Nova
glandu-
larum
divisio.

globatisque addiderunt *Conglutinatas* & *Congregatas*. Accuratiores verò eas dividunt in *Vesiculares* & *Vasculosas*, per hæc Conglomeratas & illas Conglobatas intelligendo. Verùm Conglobatas, de quibus speciatim mihi agendi erit animus, pro Vesicularibus non esse habendas, ex sequentibus fiet manifestum; ubi priùs, sed breviter, proposuero Glandularum quarundam Conglomeratarum fabricam.

CAPUT SECUNDUM

De Glandulis Conglomeratis vulgò dictis.

Glandulæ
Con-
glomeratæ
quid
sint?

Glandulæ, pro Conglomeratis vulgò habitæ, sunt eæ, quæ glandularum minorum congeriem componentes, communi involvuntur tunicâ, & singulæ earum vasculum emittunt excretorium, quæque iterum canalem componunt, per quem liquor fluit in notabilem
ali-

aliquam cavitatem aut extra corpus. Quales sunt *Glandulae Innominatae*, *Parotides*, *Pancreas*, *Mammarum*, &c. quæ, & omnes ejus naturæ, nihil aliud sunt, quàm textura minutissimorum vasorum, ex tenuissimis arteriis conflatorum, sanguinem variis particulis gravidum, vehentium, in duo desinentium vascula, quarum alia venosa sunt, sanguinem admittentia venosum, alia excretoria, modò proposita.

Hæcce, ut magis manifesta red-
dantur, experimentis aliquot erunt
elucidanda: ablata membranâ, quâ
quævis glandula Conglomerata ve-
stitur, & immisso, tum per ductum
excretorium, tum per dictarum
glandularum arterias, liquore ali-
quo, ope cujusvis syringæ; observa-
mus, Glandulas Conglomeratas à se
invicem recedere; vascula earum
tenella, glandulas componentia, li-
quore injecto repleri, turgida magis
reddi, singulasque glandulas in al-
tum elevari.

Experi-
menta
glandu-
larum
conglom-
eratarum
structu-
ram
deter-
gentia.

Et speciatim
mammarum
mulierum.

Ut reliqua præteream , glandulæ Mammarum mulierum Conglomeratæ etiam pro exemplo esse possunt. Non quidem nostrum propositum est , mammarum mulierum hic proponere Anatomen , nec earum Magnitudinem , Figuram & Numerum , ut Anatomici solent , describere , neque etiam necessum judicavi Situm illarum proposuisse. Ubi enim mammæ sitæ , nemo nescit. Utinam , inquit Vir quidam Literatus , nescirent multi ! sanè non tam immaturi raperentur in militiam Veneris , quæ sicuti adolescentium corpora solvit , ita & celerrimè senescere & creberrimè ægrotare facit. Apage ergo tales , quæ istis corruptelarum illecebris in propatulo habitis adolescentulos illiciunt atque irretiunt. Rarò namque non ex illectu lectus.

Sed ad rem. Certò credimus , glandulas hæc Mammarum Conglomeratas , vasculorum minimorum esse compagem , ductusque earum

earum arteriosos , cum excretoriis ,
canaliculos componere continuos.
Notum , glandulas jam propositas
originem suam debere arteriis du-
plicibus , tam externis , ab arteriis
axillaribus oriundis , per mammas
infinite ramificationibus diffemi-
natis : quàm internis , à ramo sub-
clavio natis , intra cavitatem thora-
cis porrectis ; quæ dum ad medie-
tatem ipsius perveniunt , musculos
inter unam & alteram costam perfo-
rant , & in mammis pluribus intor-
sionibus nodos Glandularum Con-
glomeratarum componunt. Eæ-
dem istæ arteriæ , quemadmodum
& venæ , alias constituunt ramifi-
cationes , partim variis in locis
ipsum Os sternum perforantes , &
cum vasis oppositi lateris aliquot
anastomoses componentes , uti ex
aëre infuso constat : partim descen-
dunt , & in musculis rectis , cum epi-
gastricis ascendentibus , non rarò
multiplici anastomosi uniuntur. Ex
hisce jam arteriis illæ , quæ glando-
sam

sam mammarum substantiam sub-
ingrediuntur, & glandularum ima
constituunt, omnem ferè fugiunt
oculorum aciem, nemoque illarum
terminum facile inventurus est;
nisi tincturam quandam, paucif-
simis inter Anatomicos cognitam,
in vas injiciat arteriosum, cujus par-
ticulæ eò usque propelli possunt,
ut Vasorum Galactiferorum, sive
Tubulorum Lactiferorum, subeant
canaliculos, ad oculum conspicuos.

Ut itaque totum hocce nego-
tium felici cum successu absolve-
rem, aliud experimentum, non mi-
nus jucundum, quàm utile institue-
re placuit. Papillam videns, variis
foraminibus, totidem ductibus ex-
cretoriis perviam, eandem cum an-
nexa mamma omnem liquorem la-
cteum comprimendo expuli, ex iis-
demque unum ex magis patenti-
bus mihi selegi, in quem Mercu-
rium nostrum, eâ quâ potui dexteri-
tate, injeci; & statim, jucundo planè
spectaculo, observavi, non tantum

Du-
ctum
gala-
ctife-
rorum
consti-
tutio.

Ductus

Ductus Galactoferos five lacteos, ramorum arborum in modum expansos, distinctè repleti, sed unum atque alterum ex hisce ductibus minoribus, eò usque Mercurium nostrum admisisse, ut in vascula arteriosa, dictis lacteis continua, transferit.

Idem hocce experimentum satis comprobat, Ductus hosce Lactiferos valvulis esse destitutos, meraque figmenta esse eorum, qui credunt eosdem variis in locis valvulis donatos esse, sic enim liquorem Mercuriumque injectum facilè excluderent, cùm ferè semper liber ipsis concedatur transitus. Hoc verò observavi peculiare, vasculorum dictorum quædam, variis in locis angustata & arctiora, liquori injecto quodammodo obstare; quod tamen à valvulis non dependet, sed substantiæ mammarum adiposæ duriusculæ, quâ Tubuli Galactoferi nimium aliquando comprimuntur, adscribendum. Imo in tantum, ut
secre-

secretum lac , si crassiusculum , ob
vias angustatas , diutiùs sæpe in ipsis
ductibus hærens , longiore morâ vi-
tium capiat , mammaeque variis
modis malè afficiat.

Quum nemo Anatomicorum ,
Tubulorum Lactiferorum veram
dederit descriptionem , aut delinea-
tionem , non ingratum nos facturos
speramus , si multiplici experientiâ
observata hîc communicemus. Sta-
tim ac , dum ex quavis glandula va-
sculum excretorium egreditur , tria ,
quatuor vel quinque coëuntia com-
ponunt truncum minorem ; ex toti-
dem glandulis lateralibus , & qui-
dem diversis in locis similes cana-
liculi exeunt , qui simul juncti , tan-
dem vas constituunt excretorium ,
notabilis magnitudinis , haud absi-
mile ductui pancreatico , non qui-
dem ita longè extensum , sed am-
plum satis : ubi accedit ad papillam ,
quam antequam subingrediatur ,
iterum angustatur , & ubi per ean-
dem cursum suum absolvit , adeo
angu-

angustum redditur , ut vix minoris formæ setam admittat. Quodque summopere necessarium erat , ne lac , in ipsis glandulis secretum , & vase excretorio exceptum , involuntariè continuò exiret , sed propter loci hujus angustiam tam diu aservari posset , donec ab infante , ubera materna premente , facili negotio egeratur. Ductus lacte repleti delineationem vide *Figur. 1.*

Demonstratis primis ductuum excretoriorum , sed minorum , unà cum vase excretorio majori , principiis , haud difficilè conceptu erit , præter delineatum , quamlibet mammam , septem , octo , novem (nam certus numerus non occurrit) similes habere ductus excretorios , tantam lactis vehentes copiam , ut sufficiens , etiam gemellis , præbeant alimentum. Qualis horum Ductuum sit series ; *Figura II.* demonstrabit : quæ non quidem omnes delineatos proponit , sed tantum eorum tres , in tertia mammæ parte
(de

(de reliquis idem esto iudicium) distinctè delineat.

In quibus præterea venit observandum, Ductus hosce, antequam papillam attingant, anastomosibus inter se junctos esse, ut lac in mammis secretum, & in tubulis hærens (obstructo fortè poro papillari uno aut altero) per vias laterales in alios papillæ Ductus, & adhuc patentes, transire & excerni posset.

Spiri-
uum
neces-
sitas in
lactis
secre-
tione.

Ductus autem hi Lactiferi soli non sufficiunt ad lac secernendum, sed simul necessarium fuit, per nervos numerosissimos, ex nervis thoracicis oriundos, copiam spirituum affluere, lactis secretionem promoventium. Constat enim, obstructis compressive nervis, humorum secretionem, aliis in partibus, aut lentè procedere, aut planè cessare. Idem etiam hîc locum habere necesse erit, ubi enim eadem causa, idem effectus esse potest. Spiritibus hisce ductuum poruli redduntur patentiores, lactis copiosior & cele-

acelerior secretio promovetur , ejus
 acrimonia , si fortè adfuerit , iisdem
 temperatur , & cum lacte misti , gra-
 tum ipsi conciliant saporem. Quod
 reliquum erat spirituum (copiosis-
 simi enim affluunt) partim in ve-
 nosa , partim in vasa redit lymph-
 atica : sive enim spiritus immediatè
 sanguini venoso , sive primo humo-
 ri lymphatico admisceantur , res eò-
 dem ferè recidit , namque ipsa vasa
 lymphatica , variis in corporis par-
 tibus , lympham suam in vasa venosa
 eructant.

Non deerant hîc Antagonistæ ,
 credentes , Ductus hosce Lactiferos ,
 à sanguine & spiritibus , tantam lactis
 copiam accipere non posse , quin
 simul alii ductus in consensum tra-
 nendi , aliunde venientes , hosque de-
 ducunt , vel à ventriculo , vel à ductu
 thoracico. Duo sunt , ut reliqua
 minoris momenti præteream , quæ
 pro ventriculo militare videntur.
Primo dicunt , purgantium vim sta-
 tim ad mammas , post aliquot horas ,
 B rapi.

Lac se-
 cerni-
 tur à
 sangui-
 ne Chy-
 lo gra-
 vido.

rapi. *Secundò* ; si de tinctura croci
sumat nutrix , intra semi-horæ spa-
tium lac è mammis fundi , odorem ,
saporem & colorem croceum refe-
rens. Verùm hæc , nostro iudicio ,
nihil planè probant ; neque si ali-
mentorum partes mobiliiores & vo-
latiliores , in ipso ventriculo , facilè à
reliquis sequestrantur , & per vias
ordinarias in sanguinem delatæ , per
insensibilem transpirationem par-
tim exeunt , odoremque assumpto-
rum quodammodo spirant. Quid ,
quæso , obstaret , cur non & medi-
camentorum particulæ volatilio-
res , eodem modo , imò celeriori
cursu moverentur , & odorem , sa-
poremque lacti imprimerent ? Colo-
rem verò proprium ordinariò de-
ponunt , & si aliqualis observatur ,
quemadmodum illud haud impos-
sibile , ut rarum contingens erit ha-
bendum. Si cui præterea subita-
neum medicamentorum motum ,
transitumque eorum in massam san-
guineam , examinare volupe fuerit ,
atten-

attendat modò , quid Balnea , tam
humida , quàm sicca , Fomentatio-
es , Cataplasmata , quid Epicarpia ,
Ulutiones mercuriales , quid Apo-
plegmatizantia , & quæ hujus na-
turæ alia sunt , valeant.

Neque etiam majori cum funda-
mento , ex ipso Ductu Thoracico ,
quamvis via illa foret brevissima ,
immediatè lac eliciunt. Nemo enim
inquam ejusmodi ductus demon-
stravit , quorum tamen inventio ad-
modum facilis esse deberet. A simi-
hîc argumentari liceat: si tenel-
vasorum lacteorum ductus , per
mesenterium dispersi , chylumque
flucentes admodum mobilem & vo-
atilem , facili negotio inveniantur;
quid , quæso , obstitaret , cur viæ ta-
les , tantam lactis copiam , & cras-
sulosculam adhuc vehentes , conspe-
rui sese non darent? Verùm nullo
experimento , dexterrimè licet in-
stituto , hoc unquam detectum.
Modò Mercurius noster , qui aliàs in
ejusmodi rarò fallere solet , injectâ

Ductus
Thora-
cicus ,
an cum
mam-
mis ha-
beat
com-
mer-
cium?

priùs convenienti loco & tempore ligaturâ , vias hæc , quas obscura vocant & cæcas , invenire non potuit. Vidi quidem sæpiùs , vasculum quædam Ductui Thoracico lateraliter inserta , particulas quasdam Mercurii nostri admittentia ; verùm illa non Lactea , sed Lymphatica erant , uti renitentes Valvulae , partesque glandosae , à quibus illorum origo , ad oculum monstrabant.

Ex hæcenus allatis haud difficile concludimus , lac ab ipso sanguine separari , copiosissimisque spiritibus irrorari. Ipsam verò secretionem eo in loco fieri , ubi articularum extrema , Glandulas Mammarum subeuntia , Ductuum Galactiferorum principia constituunt tantumque admittunt partes lacteas à sanguine sequestrandas. Hæc autem contingunt , ubi omnino rectè disposita , sanguis legitimè missus , & tenella ista Ductuum Vascula , nec aperta minùs , nec contracta nimis

imis. Aliàs enim Lactis loco, lym-
pha, serum, aqua falsa, aut alii vi-
tiosi humores egrediuntur: vel mo-
tus sanguinis, si concitator fuerit,
vel Papillarum ab infante pressio
vehementior, sanguinem per Mam-
millas effluxisse, & in aliis, fluxûs
menstrui tempore, menstrua per
easdem vias evacuata fuisse, obser-
vatum.

Si intemperies adfuerit sanguinis San-
guinis
vitiosa
consti-
tutio
afficit
mam-
mas.
acida, facilè Mammæ, à Lacte coa-
gulato, Tubulos Lacteos obstruen-
te eosque distendente, intumescunt;
quodque acidum tractu temporis
corrosivum redditum, non rarò tu-
mores cancrofos, ulceraque Mam-
marum depascentia producit. Si
verò prævaleant particulæ terre-
stræ, tumores generantur, quos scir-
rhos vocant. Quid autem aër ad hæc
valeat frigidus humidusque, victus
stidius acidus austerusve, vitæ in-
temperantia ingluviæque, otium,
vita sedentaria & melancholia, Pra-
ctici passim observant.

CAPUT TERTIUM.

De Mammarum Papillis

Papil-
larum
Anato-
me no-
va.

Occasione Mammarum, incidit, & illam Mammæ partem, quam *Papillam* vocant, oculo anatomico hætenus nondum benè fuisse perlustratam, ideoque perquam necessarium fore, eandem paulo accuratius examinare, texturamque ejus inspicere. Longè enim inter se differt Mammarum Papillarumque structura. Mammarum jam exposuimus, Papillarum verò exponendam habemus.

Illarum
fabrica
exte-
rior.

Præter vasa sanguinea & nervosa, ab iisdem ramificationibus, quibus mammæ exornantur, oriunda, & tegumenta, communia vulgò dicta, cutim, in antica Papillæ parte, variis foraminibus perviam notamus, cujus pori patentiores constituunt extrema ora Tubulorum Lacteorum. Osculorum horum numerus incertus plerumque occurrit, modò enim quinque, sex, septem-

ptemve , in aliis iterum novem ,
 decem , undecimve numerantur ,
 aque iterum eundem in exitu or-
 dinem non observant ; aliquando
 nim hæc ostiola circulum compo-
 unt minorem , in ambitu suo , sex
 septemve ostiolis pertusum , nul-
 lumque foramen , præter dicta , in
 us centro conspicitur. Subindè
 circulus occurrit major , sed figuræ
 ovalis , similiter , ut prior , sed de-
 cem undecimve ostiis pervius. Non
 arò ostium majus in centro conspi-
 citur , minoraque alia in circumfe-
 rentia videntur. Uti *Figuræ* III. IV.
 & v. demonstrabunt.

Interior Papillarum substantia, <sup>Papil-
larum</sup>
 non vasculosa est , qualis Mammil-<sup>sub-
stantia</sup>
 arum , jam proposita ; neque etiam <sup>inte-
rior.</sup>
 vesicularis , uti aliqui fortè crede-
 rent ; sed fibrosa , cum structura
 Glandularum Conglobatarum , in-
 teriùs recensenda , ferè conveniens.
 Hocce ut exactiùs examinarem , ex-
 presso priùs omni sanguine lacte-
 que , hinc illinc in ipsis tubulis hæ-

rente, Papillam flatu turgidam reddidi, inflatamque aëri libero tam diu exposui, ut siccatam oculo, non ita quidem nude, sed speciatim microscopio armato, ad lubitum examinare licuerit. Mox duplex fibrarum series mihi oblata, altera ex fibris majoribus retiformibus composita, altera itidem fibrosa, sed delicatissima, exiguis admodum, & variæ formæ foraminibus pervia, ubique fibris majoribus firmissimè annexa. Harum structuram, ob regularem, quem fibræ minores observabant, ordinem, planè stupendam reperi, nec memini, me unquam in aliqua microcosmi parte similes detexisse. Fibras autem tam majores, quàm minores, undiquaque Papillarum integumento firmiter annexas vidi, & si alibi dictarum Fibrarum origo quærenda, nullibi rectiùs, quàm ab hoc involucro deducenda foret. Texturam hanc fibrosam notabunt *Fig. VI. VII. & VIII.*

Dete-

Detectâ itaque hoc modo fibrosâ Unde
 Papillarum substantiâ, facilè conci- flacce-
 pimus, unde flaccescant eædem, & scant
 ex contactu puerorumve suctione & ite-
 iterum erigantur. Præter enim co- rum e-
 piam spirituum, continuo affluen- rigantur Pa-
 tium, ut ex exquisito illo sensu pillæ in
 apparet, Arteriolæ Papillares (dum Lactan-
 suctio peragitur) sanguinem, per tibus?
 modum extravasationis, copiosius
 evomunt, & fibrarum interstitia di-
 stendendo in tantum replent, ut
 Papillæ, duplo triplove naturali
 majores appareant; ad quod non
 parum facit, continua frequensque
 Papillarum humectatio, quâ, ope
 salivæ infantis irrorantur, hinc fi-
 bræ partes cutaneas constituentes,
 relaxantur, & relaxatæ faciliùs ce-
 dunt. Tumidæ manent, quamdiu
 venarum ostia, à sanguine inter fi-
 bras hæce hærente, notabiliter pre-
 muntur, verùm suctione cessante,
 & in ablactatione spiritus parciùs
 influentes, venarum apertionem,
 ostiolorumque refectionem, pro-
 pter

pter minorem renitentiam , cauſare debent , hinc ſanguis ille , venas hæſce ſubiens , Papillam iterum detumefcere facit. Colorque intenſè rubicundus , ob minorem ſanguinis preſſionem , pallidiuſculus redditur.

Papillarum
mala,
unde.

Sanguis hicce , diutius in Papillis hærens , acrimoniam concipit , poroſque cutaneos perfringens , ejus particulæ acriores impetum faciunt in partes cutaneas , eaſque fiſſuris dolorificis deformes reddunt , hocque incommodum faciliùs introducitur , ſi ipſum lac fuerit acidius , lactantiſque infantis ſanguis intemperie laboret ſalinâ , aut acidâ. Cujus ſaliva vitiata ſeſe inſinuans in poros , partes cutaneas profundius diſjungit , malumque notabiliter augetur ; ſi denudatas mammas aër ambiat frigidior acriorve , cujus injuriis particulæ aëreæ altiùs penetrantes , moleſtiſſimam matri inducunt ſenſationem.

DE GLANDULIS,
CONGLOBATIS
VULGO DICTIS.

CAPUT PRIMUM.

De Glandularum Membranis.

Ad Glandularum Anatomen, necessaria erat Membrana-
rum, Glandulæ substantiam
ambientium, cognitio, quæ Glandulæ
aliquam conciliaret firmitu-
dinem, earumque substantiam, intra
certos quosdam terminos, coerce-
ret.

Mem-
brana-
rum,
Glan-
dulas
Con-
globa-
tas am-
bien-
tium,
inspe-
ctio A-
nato-
mica.

Membranæ tales duplices nobis
occurrunt, altera exterior, interior
altera. Exterior tenuior, totam in-
cludens Glandulam, in plerisque
subjectæ membranæ firmiter adeo
adhæret, ut sæpe, non sine dilacera-
tione, à subjacente Membrana possit
separari, in aliis verò laxior ejus est
adhæsiō, & separatio faciliior. Fibris
potissi-

potissimum constat circularibus, principio & fine carentibus, excepto vasorum circa ingressum, quo fibrarum illa series turbari solet. Vasa habet quadruplicia, duo adducentia, & totidem abducentia, de quibus infrà, ubi de Glandulæ interiori substantia, cui hæc vasa etiam competunt.

Unde autem Membrana hæc originem trahat, difficillimè explicatur; an ab expansa peritonæi portione, ut aliqui fortè crederent, mihi verisimile non videretur, quia in variis corporis nostri partibus, Glandulæ conspicuæ, in quibus tamen peritonæum (quod solummodo viscera abdominis includit) non occurrit. Imò in ipsis artubus Glandulæ occurrentes, simili teguntur Membranâ, quali eas tectas invenimus in abdomine. Probabile magis videtur, Membranam hanc texturam esse vasculorum minimorum lateralium, tam egredientium quàm ingredientium.

Sepa-

Separatâ exteriori Membranâ, quod difficulter in nonnullis peragitur, occurrit altera crassior compactiorque, Glandulæ substantiam immediatè ambiens, vasis tam inferentibus, quàm efferentibus præprimis perforata. Cæteroquin adeo angusti ejus pori occurrunt, ut aër, vi licet per vasa infusus, per poros tamen Membranæ ordinariò non exeat, cui rei haud parum confert Membrana exterior, modò proposita. Variis donata est fibris, longitudinalibus, circularibus & obliquis, semet infinitis locis, sed ordine planè irregulari, tangentibus. Vasa itidem obtinet tam inferentia, quàm efferentia, ab iisdem ramificationibus, quibus exterior Membrana, oriunda.

Memoratae hæ Membranæ, licet ordinariò albicantes, æquales & læves conspiciantur, non rarò tamen ab humoribus, intus stagnantibus, coagulatis & induratis, superficiem acquirunt tuberosam & inæ-

Mem-
brana-
rum
varie-
tas un-
de?

inæqualem , gratusque aliàs Glandulæ color, faciem assumit, præ nimia flavedine, rubore aut nigredine, notabiliter deformem. Et speciatim Glandulæ Laryngis Pulmonumque, tali nigrore, in Tabacifugis tinguntur, uti multiplici experientiâ nobis constar.

CAPUT SECUNDUM.

De Glandularum Textura interna.

Glandularum
structura interna,
ut nova, designatur.

Ne, dum nucleum quærimus, in cortice hæreamus, Glandularum interiora perlustrare juvabit. Diu, fateor, in illa fui opinione; Glandulas hæc nonnisi vasorum minimorum complicatorum esse acervum, regulari tamen modo ita dispositum, ut variæ ramificationes arteriolarum implicatarum, præter venas, tandem in duo, tria, vel plura abirent vascula pellucida, lymphatica vulgò dicta, eaque Glandularum quasi excretoria esse. Sed res longe

longè aliter nobis visa , idque occasione subiecti humani , ante biennium violentâ morte extincti , cujus Historiam paucis enarrabo.

Vir quidam , triginta circiter annorum , Baccho , sed potissimum Cerere, delectari solitus , post prandium cum quodam alio rixas movet , & verba statim in verbera mutat. Sed irritatus Antagonista, sclopeto , globulo plumbeo onusto, rixarum motoris , alterius lateris, abdominis musculum rectum ita trajicit , ut intestini ilei pars ilico per vulnus exiret , & extra abdomen pendula conspiceretur; fauciatus hoc modo graviter patiens , vitam cum morte eâdem horâ commutare fuit coactus.

Inspecto abdomine , vasa lactea, centum fortè in locis , chylo adhuc turgida (quod rarissimum in subiecto humano videre contingit) conspeximus , mesenterique Glandulas , succo quodam tumentes, perlustravimus. Sciendi cupidi,
quale

Glan-
dula-
rum
mesen-
terii
examen
novum.

quale inter lactea & Glandulas dictas esset commercium, vasculum aliquod, ab intestino exiens, plurimis valvulis intro foras spectantibus conspicuum, per tubulum alligatum, nostrum injecimus Mercurium; præter omnem expectationem, jucundissimo tamen spectaculo, vidimus, ab injecto mercurio, lacteum vas non tantum repleri, sed Glandulam, in quam recta via tendebat, aliam figuram & superficiem aliam inde acquirere; ex planiformi quippe in magis globosam, ex superficie æquali & lævi, in asperam & plurimis tuberosis capitulis rotundis donatam abire, de quibus consule *Figur. ix.*

Hocce tanquam insoliti quid considerans, ludentem potius admiratus sum naturam, & injectionis vi, Glandulæ stamina fibrasque intermedias læsas fuisse, facilius credidi, quàm ut revera cavernulæ quædam, quas meus formarat Mercurius, intus in ipsa Glandula latita-

titarent. Sed iterato experimento, in alia intestini mesenteriique parte, eundem videns successum & fabricam eandem; aliis etiam in subjectis, Glandularum mesenterii fabricam, altiori examine perlustrandam necessarium duxi.

Hinc Equina, Bovina, Canina & varia ejus naturæ alia, Theatri nostri fuere subjecta, atque ubivis Mercurius noster eundem in currendo observavit ordinem, & viam eandem; Glandulæque passim, uti de subjecto humano dictum, figuram mutabant & superficiem. A quo tempore certissimis ratiociniis conclusi, Glandulas mesenterii non constituere vasorum complicatorum nexum, sed substantiam earum potius fibrosam esse muscosamque.

Inde à simili argumentari ita cœpi; si Glandulæ mesenterii globosæ ex substantia fibrosa muscosaque conflatae sunt; quid ni & aliarum partium Glandulæ, non quidem chylo, sed succo lymphatico irrorari solitæ,

Glandularum Conglobatarum examen in brutis institutum.

Ex diversis corporis partibus Glandulæ examinatae.

C

tæ,

tæ , eandem haberent fabricam. Ideoque Mercurius noster in auxilium iterum venit ; qui Glandulas quidem subintravit , sed , renitentibus haud parum valvulis , nuspiam tam perfectè & regulariter Glandularum texturam ob oculos posuit. Ac proinde aliâ methodo partes hæc aggrediendas esse putavi ; videns itaque , in nonnullis subjecti partibus , Glandulas quasdam duûm generum habere vasa lymphatica , alia scilicet egredientia , alia ingredientia ; hæc potissimum eligendas esse succurrit , quòd valvularum structura hîc nullo modo obesse posset. Et qui in promptu erat Mercurius , celeri cursu iter suum absolvit , Glandularumque illarum cavernulas & cavitates ita replet , ut vix locus superesset , qui Mercurii nostri partem non admitteret , & præcisè cum Mesenterii Glandulis non conveniret , licet quoad formam externam (quemadmodum omnes Glandulæ solent) quodammodo

modo differre viderentur. Uti *Figurae* X. XI. XII. notabunt.

Non tamen in hisce acquiescendum, sed alio experimentandi modo Glandularum structura perscrutanda erat. Ideoque expulso & expresso omni Glandulae liquore, vasque lymphatico ex Glandula prodeunti ligatura injecta, per oppositi lateris vas lymphaticum, Glandulam subintrans, flatum immisi, & ligato etiam hoc vase, Glandulam flatu distentam reddidi, aëri calidiori expositam siccavi, siccataeque inspexi; animo examinandi, utrum talis inde exsurgeret fabrica, qualis Mercurio præparata Glandula fuit visa.

Aliud
Glandulas
examinandi
experimentum.

Re itaque propius inspectâ, & quatenus oculo nudo examinari potuit, hanc illarum fabricam inveni. Præter membranam ambientem, statim fibrosam earum detexturam, diversas fibrillarum, inter se cohærentium, formantem species & formas. Exteriores, im-

mediate sub tunica investiente locatæ (cui & firmiter fibræ annecebantur) tot extremitatibus; quasi totidem capitulis, eandem membranam regulari ordine tangebant, ut spatia intermedia, succo lymphatico ordinariò repleta, inæqualem redderent tunicam, plurimis hemisphæriis tuberosam. Quæ immediate subsequebantur fibræ, Glandulæ interiora respicientes, varios componebant angulos, aliæ enim hexagonæ, aliæ pentagonæ, aliæ aliûs formæ, prout cum reliqua textura fibrosa maximè convenirent. Reliquæ fibræ, ad centrum usque, diversas series non componebant, sed eundem irregularem servabant ordinem, aliæ enim erant majores, aliæ minores, nonnullæ longiores, quædam breviores, ubi-vis tamen firmissimè inter se cohærentes, muscumque arboreum ferè repræsentantes. Ita ut Glandulæ (aliàs Conglomeratæ dictæ) non malè *Vasculosæ*, & *Conglobatæ*
Mu-

Muscosæ vocari possent. Muscosarum delineationem vide *Fig. XIII.*

An verò singulæ fibræ, muscosam Glandulæ substantiam componentes, cavæ sint, interdum dubitavi; verùm post exactum examen institutum, nunquam potui detegere, fibras hæc canaliculis esse pervias; sed omnes, quotquot aderant (exceptis vasis sanguineis) cavitatibus esse destitutas. Imò oculus, microscopio licet armatus, nullo modo easdem invenire potuit, quamquam vitri ope, implicata hæc fibrarum textura, distinctè alioquin fuerit proposita, uti *Fig. XIV.* indicabit.

Qualis
fibrosa
sit Glandularum
structura?

Sed notandum hoc loco venit, Glandularum hanc compagem, non ubivis eodem modo sese habere, verùm in nonnullis laxiorem, in aliis strictiorem observari; prout majori minorive lymphæ copiâ Glandulæ fuerint distentæ. Colore insuper multum Glandulæ variare solent; quædam enim grysei

Texturæ
fibrosæ
diversæ
constitutio.

(uti ordinariò) aliæ flavescentis, nonnullæ nigricantis, nec deficiunt, quæ coloris apparent variegati: quæque colorum diversitas à varia humoris, naturalis vel vitiosi, constitutione, diversimodè Glandulas hæc tingente, unicè dependet.

Glandularum
Conglobatarum
morbi.

Eædem hæ Glandulæ liquore quidem naturaliter turgent diaphano limpidoque, sed non rarò in succum viscosum eundem mutatum vidimus, Glandularumque interstitia materiâ tartareâ fabulosâque repleta & obstrueta conspeximus. Totidem aliquando extraximus arenulas, quot cavernulæ inter fibras occurrerent notabiles, & subinde totam calculosam vidimus Glandulam, dum succi vitiosi copiosiore affluxu arenularum latera continuâ pressione propiùs ad se accedentes, unum quasi corpus formare incipiunt. Harum præterea superficiem inæqualem asperamque semper observavi, Glandularum peripheriam tuberosam ad unguem æmu-

emulantes: malum autem hoc frequentius invadit Glandulas œsophageas, nec non ad asperæ arteriæ bifurcationem locatas, quibus difficilis non rarò inducitur respiratio; uti notabili etiam Historiâ confirmat *Clariss. Kerckringius Spicileg. pag. m. 64.* & quas nos, nuperrimè adhuc, ex subjecto humano extraximus Glandulas calculosas *Fig. xv. xvi. & xvii.* indicabunt. In brutis autem animantibus, tali modo naturalè affectas Glandulas, observare necdum licuit.

CAPUT TERTIUM.

De Glandularum Conglobatarum Vasis.

Præter huc usque detectas fibras, ^{Quænam vasa Glandulas habent?} varias adhuc vidi alias, ab una ad oppositam Glandulæ partem ex-
porrectas, quarum nonnullæ rectilineæ ferè, aliæ ab eadem deflectentes, angulos componebant obli-
quos.

quos. Incertus conjicio fibras dictas, vasa esse aut sanguinea aut nervosa. Sed quia sæpius jam observâram, quamvis Glandulam ad minimum simplicem, frequenter duplicem, & non rarò triplicem quadruplicemve, accipere ramificationem arteriosam, à vicinis arteriis oriundam; ex iisdem unam mihi selegi, Mercurio nostro replendam, quique etiam facilem statim inveniens viam, arteriolam hanc, variis ramificationibus per Glandulæ texturam conspicuam argenteamve reddidit; neque etiam focia defuerunt venæ, in totidem furculos minores scissæ; quorum tamen vasorum sanguineorum numerum superant nervuli numerosissimi, latera dictorum vasorum associantes. Quales autem arteriolarum sint divaricationes, Glandulæ interiora perreptantes, ex *Figura XVIII.* colligi potest.

Lym-
phati-
corum
exa-
men,

Sed aliud vasorum genus, quo quævis Glandula Conglobata super-

perbit, *Lymphaticum* intelligo, examini erat subjiciendum. Pro recepta penè habetur Anatomicorum opinione; Vasa Lymphatica ductus esse admodum tenues, pellucidos, simplici tunicâ donatos, & plurimis nodulis, qui totidem valvulæ sunt, conspicuos. Verùm non ubivis tali modo constituta sunt illa vasa, neque eadem omnium est subtilitas: quò enim Lymphatica sunt majora, eò tunicæ eorum sunt constantiore; quoque propius accedunt ad Saccum Chyliferum, Ductum Thoracicum, vel venam subclaviam axillaremve, eò plus roboris eorum membranæ habent.

Membrana, Vasculum Lymphaticum componens, externo oculo examinata, pellucida est & tenuis, nihilque peculiare (quoad structuram) ob partium tenuitatem sensibus externis offert. Verùm microscopio examinata, texturam præbet infinitorum globulorum, majorum minorumque, contactu

mutuo inter se cohærentium ; quorum nonnulli ductulos aliquot, sed irregulares, arearum in modum, componere videbantur , variis anastomosis inter se junctos ; hi autem tractus, an vascula fuerint, nec ne, pro certo affirmare non ausim. De quibus vide *Fig. XIX.*

Ductus
Thoracicus
ope
Microscopii
examinatur.

Oculo eodem modo armato, & Ductûs Thoracici Membranam examinaui, quam ejusdem ferè naturæ cum præcedente reperi, exceptò, quòd illius globuli paulò majores, racematim pluribus in locis inter se cohærentes, distinctiùs apparuerint. Et aspectus fuit gratior, ubi Membranam hanc, in duplicem tunicam aut laminam divisam, summâ diligentia inspicerem. Exterior enim manifestissimè corpusculorum, tam orbicularium, quàm ovalium, racematim hinc inde connexorum, præbebat texturam. Interior verò, ejusdem ferè fabricæ, eadem, sed minora & obscuriora magis offerebat. Unam & alte-

alteram *Figura* XX. & XXI. delineatam offert.

Quum itaque vaforum Lymphaticorum, Lacteorumque structura sit eadem, commodissimè hoc tempore inquirere potui, utrum loco intermedio, inter Membranam scilicet unam &, alteram modò propositam, Muscus ille occurrat, quem *Nobilissimus Bilsius* se ibidem invenisse gloriatur. Verum nuspiam mihi tale quid oblatum; sed membranas arctè adeo inter se unitas fuisse observavi, ut nec Musco, nec simili quid ibidem daretur locus. Hinc pro certo concludere auderem, talem Muscum in rerum natura non dari, sed planè imaginarium esse.

Valvulas Vasa Lymphatica obtinent Semilunares, & in quovis loco, ubi valvulæ conspiciuntur, numerum non excedentia binarium; triplicatas enim & quintuplicatas, quales in venis non rarò conspiciuntur, hætenus notare non licuit.

Ne-

An Bil-
sii Mus-
cus in-
ter
Lym-
phati-
corum
tunicas
inve-
niatur?

Quales
sint
Lym-
phati-
corum
Valvu-
læ?

Neque etiam necessarium esse judicarem ; quia angustiora hæc & tenuiora vascula duplici Valvula haud difficilè clauduntur.

Valvularum harum substantia nudo oculo inspecta, cum vasis lymphaticis, ejusdem naturæ videtur verum microscopio examinata, notabilem præbet differentiam. In tenuissima enim valvulæ Membrana fibræ innumeræ conspiciuntur, ab una in oppositam partem exporrectæ, quæ quasi totidem furculos & fibras motrices repræsentare videntur, ut iisdem contrahi & relaxari hæc valvulæ possent. Corpuscula insuper orbicularia, hinc inde fibris dictis annexa notavimus, uti *Fig. xxii. & xxiii.* indicat.

Valvulae quid agant ?

Dilatationi pariter ac constrictioni destinatas esse Valvulas, haud obscure conjicere licuit, ex Valvula Ductûs Thoracici nuper inspecta ; hæc enim, præter fibras modò propositas, in extrema valvulæ ora, aliûs naturæ fibrillas obtine-

tenebat , partim cruciariâ figurâ in sese incumbentes , partim secundum longitudinem extensas , & vicinis valvulæ partibus annexas. Hæ , quasi totidem exigui muscoli (eodem ferè modo , quo fibræ valvularum tricuspidum & mitralium) majori vi ductûs thoracici viam potuere dilatare , & angustare , idque propter usus summè necessarios. Valvulæ hujus ductûs thoracici delineatio offertur *Figurâ* XXIV. & XXV.

Quæritur hîc ; *Utrum Vasa Lymphatica Glandularum Conglobatarum sint Excretoria.* Rei hujus difficultatem *Clarissimus Malpighius* Vasa Lymphatica an Glandularum sint excretoria? indicat , in nuper edito de Glandulis tractatu ; dum inquit : *An præter exposita sanguinea vasa & nervos , aliud vasorum genus , à glandulis promatur , quod vicem excretorii vasis habeat , indagandum venit. Ut autem in re tam difficili , in qua nec cultri opus , nec separatio haberi potest , ob substantiæ friabilitatem ,*

tem, & partium exiguitatem, facilius incedamus, datis quibusdam sensatis observationibus conjecturando procedemus.

Quid tamen nos hac in re præstiterimus, enarrabimus lubenter. Videns Glandulas Mesenterii, lactea obtinere & inferentia & effe-
rentia, & pari modo aliarum partium Glandulas lymphatica habere & adducentia & abducentia, cogitavi, lymphatica illa Glandularum excretoria esse non posse, quòd aliunde originem ducant, & Glandulæ dictis lymphaticis nonnisi transitum concedant, uti ex *Fig. XXVI.* patebit.

Lym-
phæ
transi-
tus per
Glan-
dulas
cur ne-
cessa-
rius?

Non tamen frustraneus censendus est lymphæ, per Glandulas hæc, transitus; sed credendum potiùs, lympham eò, duplici modo, subtiliorem reddi. *Primò*; quatenus particulæ ejus, arctiùs adhuc unitæ, in muscosa illa Glandularum substantia disuniantur, & in plures particulas minores abeant. *Secundò*; à

dò; à spiritibus, copiosius per nervos in Glandulas affluentibus, sanguini reaffundendis. Frequentes autem hîc accedere spiritus, vel ex eo manifestum, quòd numerosos insertos videamus nervos, imò multò plures, quàm qui Glandularum sensui inserviunt. Idem etiam patet, in subjecti vivi vase lymphatico læso, lymphamque stillante, notabiliter inde emaciari corpora, ut taceam, quid periculi subsit, si, in Paracentehesi instituta, major extrahatur lymphæ copia, licet jam extravasata, quàm par est. Hæc autem lymphæ & spirituum miscela, adeo erat necessaria, ut hi sine lymphæ accessione (pro spirituum vehiculo inserviente) & illa sine spirituum adminiculo (motum lymphæ promovente) in sanguinem redire non possent.

Interim non diffiteor, Glandulas propositas vasorum lymphaticorum scaturigines esse non posse; etenim plus quàm semel observavi, An nunquam Lymphatica originem ex.
tam

Glandu-
lis habe-
ant?

tam arctum inter lymphatica & arterias esse connexum, ut inflatâ arteriolâ, simul lymphaticum Glandulæ alicujus flatu fuerit distentum, ejusque lymphæ sæpe sanguinea, & loturæ carnis instar tinctæ nobis sit visa.

Summopere tamen necessariam esse illam vasorum lymphaticorum in Glandulas insertionem, exinde concluderem; quòd vas lymphaticum furculos subinde emittat laterales, dum principalior ejus ramus Glandi tantum incumbat, ramulos exeuntes iterum excepturus: uti ex *Fig. xxvii.* videre est.

Verum ut eo rectius omnis lymphæ, Glandulam pertransitura, spiritibus irroretur, providus nostri Conditor ubivis ferè lymphatica sub ingressum in plures abire ramificationes, & plurimis itidem exire ramulis voluit uti satis distinctè *Figura xxviii.* explicat.

Glandu-
larum

Imò Glandularum utilitas tanta videtur, ut nullum Lymphaticum
cur-

cursum suum absolvere possit, quin <sup>utilitas
singu-
laris</sup> Glandulas in transitu salutare semper necesse habeat, uti potissimum apparet illis in locis, ubi nusquam Glandulæ apparent, lymphatica tamen conspiciuntur; quæ per vias, Anatomicis nondum notatas, &, ut ita dicam, cæcas, Glandulam aliquam (quam tamen ut propriam non obtinent) quærant, erucent-que in eandem, lympham, cum alia lymphæ aliunde prodeunte, commiscendam, & communi vase effe-
rente, versus cisternam chyli, alium-
ve locum propellendam. Uti *Fi-
gurâ* XXIX. videre est.

Nonnunquam Glandulæ, ad <sup>vas
lym-
phati-
cum
notabi-
le ad
hepa-
tis con-
cava.</sup> concava hepatis, portæ, adsitæ, unde quaque, & anticè & posticè, plurimis lymphaticorum ramificationibus exornantur, Glandulasque ingressæ, tantam iisdem tradunt lymphæ copiam, ut inde canali satis amplo Glandula egrediatur, lymphamque suam in aliam Glandulam, sibi vicinam, erucent; quam-
D vis

vis hæc posterior Glandula , præter vas hocce amplum , aliis adhuc irroretur vasculis lymphaticis , aliunde lympham accipientibus : potissimum illud in subjecto bovino conspicuum , ex quo glandularum harum , lymphaticorumque naturalis magnitudo delineata exhibetur *Fig. xxx.*

Hisce ita positis , certò constare videtur , vasa lymphatica Glandularum , ut vocant , Conglobatarum , excretoria non esse ; sed omnes , quotquot sunt ejusmodi Glandulæ , ab aliis partibus , aut vicinis aut remotioribus , tanquam à primis fontibus , suos habere canaliculos.

CAPUT QUARTUM.

De prima Vasorum Lymphaticorum Origine.

Quifnam primus Vasorum Lymphaticorum sit exortus , nemo hætenus detexit ; sed Anatomicorum

Lym-
phati-
corum
Origo.

rum etiam dexterrimorum fatigavit animos ; idque non sine ratione : prima enim illorum principia adeò sunt subtilia , ut cultro non tantùm tractari nequeant , visumque penè fugiant ; verùm injectiones subtiliores (cujuscunque etiam fuerint naturæ) imò Mercurium nostrum , aëremque infusum , propter valvulas obstantes vix admittant.

Interim variè hîc sentiunt Anatomici. Quidam nervos constituunt Vasorum Lymphaticorum principia ; alii glandulas minores ; alii membranas ; nec deficiunt , qui à tendinosa musculorum parte eadem deducunt. Sed missis aliorum sententiis , dicam modò , varia me hanc circa speculationem molitum fuisse , variis experimentis (irritò licet ordinariò conatu) varia tentasse , casuque tandem nonnulla detexisse , quæ lucem hîc adferre possunt.

Ante triennium mundando lie-
ni Vitulino intentus , omnique
D 2 fan-

Anato-
mico-
rum
senten-
tiæ , de
Origine
Lym-
phati-
corum.

Experi-
menta ,
quibus

dete-
gitur
Lym-
phati-
corum
Origo.

sanguine , aquæ tepidæ ope , jam eloto , copiosum in arteriam splenicam infudi aërem , & , spiritu fortiùs adacto , non tantùm pluri-
mas exiguas in superficie lienis vidi elevari vesiculas , sed ex iisdem vesiculis vasa prodire Lymphatica , flatu etiam turgida , & lienem perreptantia vidi , & quò diutiùs arteria fuit inflata , eò majorem notavi vasorum numerum , ita ut , hâc arte , per inflatum Vasis Lymphaticis vulnus aër immissus , & membrana linealis ferè tota lymphaticis ductibus obsessa fuerit visa.

Ab eo tempore conjicere coepi , Vasorum Lymphaticorum principia ab arteriarum furculis emanare , idque aliquandò intermediâ Vesiculâ , aliquandò deficiente Vesiculâ , immediatâ ab ipsa arteria , venave : uti sequenti Experimento manifestum redditur. Pulmonis humani (jam antè eloti) Vasa arteriosa copioso aëre distendens observavi , ex externa pulmonis superficie Vascula prodi-

prodire lymphatica , varias anastomoses cum vicinis lymphaticis componentia , de quibus aliàs , Deo volente , pluribus.

Tertium observare licuit in testiculo virili , ex cujus tunica vaginali (inflatis priùs venis , spermaticis dictis) vas unum aut alterum lymphaticum egredi notavi ; idque toties cum successu institutum , quoties flatus diligentius fuerit immissus. Eundem tamen successum , hoc in loco , ab arteria spermatica inflata non habuimus ; quòd arteriola illa exigua admodum sit , & aër infusus eò usque penetrare non possit , ut primam Vasis Lymphatici originem subeat.

Sed si arctè adeò dicta vasa inter se cohæreant , quid obstat , *cur sanguis sub forma sanguinis non subintret vasa lymphatica* ? Resp. Hoc necessario non sequi ; sic enim nulla in toto Microcosmo fieret secretio ; omnes enim humores , (excepto chylo) ab arteriis , tanquam à

Cur
sanguinem ad-
mittant.
Lym-
phatica ?

D 3

pri-

primo fonte, dependent. Insuper demonstratu haud difficile, angustissimos arteriarum canaliculos, excludere ob pororum formam, omnes particulas heterogeneas, & transitum præbere liquori lymphatico. Simile iudicium esto de spiritibus in cerebro, salivâ in Glandulis salivalibus, lacte in mammis, bile in hepate, urina in renibus, &c. Mercurius noster, licet admodum mobilis, in arteriam splenicam injectus, nullo modo lymphatica, lienem perreptantia, subingreditur, quum tamen infusus aër haud difficulter eas distendat: contrà, variis aliis in partibus nihil planè valet aër, in quibus tamen Mercurius noster facilem viam invenit.

Lympha
sanguinea unde?

Interim non diffiteor, vasa illa lymphatica lympham subindè vehere rubicundo colore tinctam, loturæ carnis instar se habentem. Hoc autem nunquam contingit in statu naturali, verum post nimium
& ir-

& irregularem sanguinis motum. Vel in quibus humidum (ob defectum alimenti) deficit; quâ occasione plerique humores vitiantur, & colore præternaturali tinguntur. Quid mirum itaque, hisce in casibus lympham reddi sanguineam?

CAPUT QUINTUM.

*Veterum & Neotericorum circa
usum Glandularum Congloba-
tarum Lymphaticorumque
sententia rejicitur.*

Hactenus itaque observata lū-
ce meridianâ clarius demon-
strant, Veteres & Recentiores cir-
ca usum partium præscriptarum
maximoperè errâsse. Dicebant e-
nim illi destinatas esse Glandulas;
Primò: *Pro vasorum divisionibus*
firmandis, quum tamen in quàm-
plurimis vasorum divaricationibus
nullæ conspiciantur Glandulæ, in
quibus etiam multum obessent, san-
gui-

Anato-
mico-
rum
opinio-
nes circa
Glandu-
las Con-
globatas
& Lym-
phatica,
an sint
alicujus
valoris?

guinis motum retardando. *Secundò : Pro humoribus superfluis , præsertim serosis , quia spongiosæ & raræ sunt Glandulæ , imbibendis , & inde vulgò Emunctoria vocârunt. Sed quis rei absurditatem non concipiet , qui mente attentâ saltem attendat , exigua esse corpuscula Glandulas ; multum humoris excipere nescia , & ubi acceperint , eas statim morbosas reddi , hincque tot tumores , scirrhi , bubones , nodi , scrophulæ , cancri , &c. Tertio : Pro partibus humectandis ad faciliorem motum , vel aliàs ad prohibendam siccitatem. Motum iis non facilitari , vel ex eo manifestum , quòd variæ corporis partes , in continuo ferè motu constitutæ , nullis ditentur Glandulis , ut Cor , muscoli intercostales , muscoli abdominis , &c. Quibus etiam partibus , quia non adsunt , siccitatem inducere non possunt. Quarto : Ut succum nutritium nervis ministrent. Nervis nihil Glandulæ , sed hisce*

hisce illi aliquid ministrant, uti ligaturâ manifestum, injectâ enim nervis ad Glandulas tendentibus, tonum earum perire, & usu suo destitui, observabis: *Quintò*: Nonnulli *Fontes Pinguedinis* voluere Glandulas. Verùm in multis, etiam sanissimis, nulla circa Glandulas occurrit pinguedo; ergo ex ejusmodi fonte pinguedo non erit eruenda.

Denique probabiliter statuunt; *Glandulas cribra esse, hoc modo conformata, ut dum ex arteriis in venas per capillaria transit sanguis; liberatæ à sanguinearum amplexibus serosæ partes, caloris vi, per convenientes sibi poros expellantur in capillaria Lymphaticorum.* Neque horum opinionem veritati esse consonam, vel ex eo probatur, quòd origo Lymphaticorum in Glandulis non sit quærenda, sed ex aliis partibus, quod jam demonstravimus, & demonstrandum erit ulterius in sequentibus.

CAPUT SEXTUM.

De Renum Vasis Lymphaticis.

Renum
Lym-
phatica
nova.

Expositâ jam Glandularum, vulgò Conglobatarum, nobis *Muscosarum*, Lymphaticorumque doctrinâ; progredimur ad visceris alicujus, Renis scilicet, vasa lymphatica, de quibus Anatomici nihil planè tradidere, aut obscurè admodum de iis locuti sunt. Quatuor vasorum genera jam dudum enumerârunt, sed de quinto, Lymphatico, altum apud Authores est silentium. Unicus, quod sciam, *Cl. Th. Bartholinus* Cap. de Renibus eorum mentionem facit his verbis: *Lymphatica vasa ad Renes quoque Lympham immediatè, ob viciniam deducere, in historia vasorum Lymphaticorum dubitabam.* Mox subjungit hæc verba. *Lymphæ ductus Renibus assignat Bellinus, accuratiori manu aliquando ostendendos.* Videmus hîc, *Cl. Bartholinum* dubium hæ-

hærerere, &, quod planè impossibile, Lympham suam ad Renes deducere. Et *Cl. Bellinus* accuratiorem spectat manum, quæ eadem distinctiùs proponat.

Non hîc proposui, omnium Renis partium Anatomen exhibere, sic enim à scopo longè aberrarem, & Lymphographiæ meæ transcendere metam: verbo dicam, quinque nobis in Renibus occurrere vasorum genera, quorum *duo* sunt *inferentia*, ut arteriæ & nervi, aliaque non admittimus, quæ enim aliqui cæca vocant, liquorem ex ventriculo vel intestinis immediatè in Renes deferentia, hæcce in rerum natura non dari, sed fictitia esse, certò credimus: & *tria efferentia*, ut venæ, ureteres, & vasa Lymphatica; inter quæ tamen tale occurrit commercium, ut uno malè constituto, reliqua sua patiantur incommoda.

Quadriennium est, ex quo, Renum circa fabricam occupato, inter

ter alia in conspectum veniebant furculi duo exigui, aliquando tres, quatuorve vascula pellucida, lymphâ turgida, vasis emulgentibus incumbentia. Hinc præter humanos, etiam porcinos, bovinos, leporinos & caninos examinare cœpi Renes; & ubivis vascula observavi lymphatica, ex concava Renis parte exeuntia, non tamen eundem cursum fervantia; modò enim supra, modo infra venam emulgentem viam dirigebant, & diversis in locis anastomosi juncta, rectâ, ut tunc credebam, in chyli receptaculum tendebant. Postmodum rem altiùs examinans notavi, illud locum quidem habere in subjecto canino, vide *Fig. xxxi.* sed in humano, intermediâ glandulâ, lympham in saccum deferri chyliiferum.

Quis sit
Lym-
phati-
corum
ortus
in Re-
nibus?

Magna autem occurrit difficultas, circa Ortum vasorum lymphaticorum ex visceribus exeuntium, & speciatim, ex Renibus, de quibus sermo est. Dixi antè, quomodo aë-
ris

ris infusione in vasa sanguinea, aliarum partium detexerim lymphatica, eademque arteriarum esse vasa continua. Hic idem aër viam iterum invenit, & quidem primò in Rene cujusdam apri. Inflatâ enim arteriâ emulgente, aër in lymphatica transiit, eaque distendit; Inflatâ verò ejusdem nominis venâ, aër lymphatica non subiit. Contrâ in subjecti cujusdam juvenilis Rene, flatus per venam immissus, etiam lymphatica distenta reddidit, in arterias verò, non item. Hinc non obscure concluderem, arteriarum emulgentium extremitates, vasorum lymphaticorum constituere principia, quamvis præcisè locum, ubi arteriolæ faciem suam deponunt, & lymphatici vasis formam assument, notare non licuerit.

Postmodum plùs quàm semel observavi, ex iisdem arteriis vasa venosa tubulosque renales originem etiam ducere, talemque inter hæc atque illa vascula esse unionem, ut

inflatâ

Con-
sensus
inter
vasa
Renalia
singula-
ris.

inflatâ arteriâ venâve, flatu non tantum distenderentur lymphatica, sed aër copiosius etiam in ureterem immixtus (ligatis antè venâ arteriâ emulgente) etiam vasa subierit lymphatica. Successum hujus vidimus magis optatum, si primum vasa illa venosa & arteriosa cerâ fuerint repleta: hoc enim modo ureter vacuus aërem immixtum copiosius admittit & facilius in lymphatica transmittit.

De quibus sermo est lymphaticis, eadem numerosissimis gaudent valvulis, impredientibus, ne lymphamotu retrogrado versùs Renes, à quibus eorum origo, redire posset. Hocque ubivis locum habet, ubi vasa lymphatica in quavis alia corporis parte conspiciuntur.

Præter detecta jam lymphatica ex sima Renis parte prodeuntia, jam aliquoties ex gibbosa etiam superficie exortus vasorum lymphaticorum nobis fuit observatus.

Ex gib-
bosa

Exigui enim furculi lymphatici in
du-

duplicem truncum abibant , quo-
 rum alter superiora versùs , alter
 versùs inferiora Renis dorsum per-
 reptabat , factoque versùs vasa
 emulgentia flexu , glandulam subin-
 grediebatur , ex qua iterum rectà in
 capsulam chyliferam tendebat. Uti
 ex citata *Figura xxxi.* manife-
 stum.

Renum
 parte
 Lym-
 phatica
 nova.

Morbosa quædam Renum con-
 stitutio , magis adhuc meum con-
 firmat inventum. Hydatides nam-
 que variæ , in Renum substantia vel
 etiam superficie non rarò conspi-
 cuæ , digito quasi idem demon-
 strant , quales etiam vidit *Theodo-
 rus Zwingerus* Ephemerid. Ger-
 man. Dec. 2. ann. 6. p. m. 544.
Ren sinister , inquit , ex tunicis evo-
 lutus , exterius sex Hydatidibus con-
 situs fuit , quarum una & maxima
 ovum Columbinum æquans , ad la-
 tus vasorum emulgentium appensa ,
 coloris lividi , ejusdem cum vena
 emulgente fuit ; cæteræ verò turgen-
 tes vesiculæ , hinc inde positæ , nuce
 avel-

Renum
 Hyda-
 tides
 unde ?

avellanâ majores & minores fuerunt, omnes transparentes & pellucidæ. Ejusdem ferè naturæ Kenes malè affectos viderunt *Clariss. Willius* Path. Cereb. Cap. ix. p. m. 417. & *Carolus Piso* in Tractatu suo, *De Colluvie serosa* Observ. 94. p. 359.

D. Laurentius Wolfstrigelius Cystin notabilem Reni adnatam, ad magnitudinem pilæ lusoriæ, subflavescente sero turgidam vidit, cujus historia & delineatio videre est, in *Ephem. German. Dec. 1. ann. 1. observ. 43* Et casum haud absimilem notavit ac delineavit *D. Georgius Segerus*, ex cadavere quodam, cujus externa Kenis superficies, circa extremitatem superiorem, vesica pellucido sero repleta, apparebat. De quibus vide *Dec. 1. ann. 2. Observ. 23.*

CAPUT SEPTIMUM.

De Ovariorum Uteri Lymphaticis.

Post Renes, etiam Testes Fœmineos, Ovaria dicta, inspiciendos habemus; quod lymphatica vasa copiosissimè ex iisdem prodeant. Summopere aliquando sum miratus, ex tam exiguæ molis corpore, adeo copiosos & amplos exire ductus Lymphaticos, quum tamen arteriolam obtineant admodum tenuem. Ubi namque simplex subingreditur ovarium vasculum arteriosum, ibi quadruplici, aut quintuplici ramo exeunt lymphatica notabilis magnitudinis. Hinc ingratum me facturum non spero, si hujus partis structuram paulò accuratiùs perlustrem.

Notissimum est, Ovarium variæ magnitudinis continere ovula, eademque continuò debere nutriri, aut succo quodam irrorari. Sed difficultas est; per quas vias nutrimentum

ovula
in Ova-
riis quæ
nutri-
antur?

mentum tale ad ovula deferatur, quum arteriæ visibiles non conspiciantur: quæstio hæc minùs difficilis occurret; si attendamus, pæraque arteriarum vasa capillaria, non sanguinem, liquorem illum rubicundum, vehere; sed lympham potius, jam à reliquis sanguinis particulis separatam, transmittere. Crassiuscula enim capillaribus venarum in itinere erant tradenda, ut eò intimiùs reliqua penetrare, & oculorum interiora subire lymphæ posset: uti Experimentis, Mercurio ritè præparato, Tincturisque coloratis manifestum redditur.

Neque hîc obstare debet arteriæ spermaticæ teneritas, ac si illa lympham tam copiosam non veheret. Hæc enim cum ipsa arteria hypogastrica, tot in ovario componit anastomoses, ut, licet arteriæ spermaticæ non adessent, non tamen partium nutritio aut ovulorum fecundatio cessaret, sed sanguis per arterias hypogastricas tantùm advectus,

vectus, huic ufui infervire poffet. Rectius tamen procedit, fi à duplici fonte, arteriâ fcil. hypogafttricâ & fpermaticâ, procedat; fic enim duo illi rivuli variis in ovarii locis concurrentes, majorem humori lymphatico imprimunt vim, & intimius ad interiora pergunt.

Hæc ut felicius procedant, notandum, varias hîc occurrere arteriarum intorfiones (capreolorum vitium inftar implicatas) quæ arteriolarum divaricationes ita difponunt, talesque formant poros, ut nonnifi certum aliquod genus particularum transmittant. Partes interea craffiores, vafa venofa; & tenue superfluum Lymphatica fubingreditur, relictis iis, quæ, vel pro nutritione, vel ovuli fœcundatione inferviunt. Pro varia tamen fanguinis constitutione, diverfimodè ovula illa moventur; fpeciatim verò, dum poft congressum, fanguinea massa, à fermento feminali notabiliter agitur,

talemque ipsis ovulis introducit motum ; ut illa, quæ antè vix conspicua , jam caput exserant , & tot admiranda includant.

Quid autem pororum diversa valeat constitutio, aliàs diximus, & confirmatur Experimento sequenti. Sumatur Charta Emporetica , oleo olivarum madida ; huic si affundas miscelam ex aqua & oleo : oleum tantùm trajicitur cum nonnullis ex aquæ particulis tenuioribus. Si verò charta priùs aquâ fuerit madafacta : affusæ miscelæ partes aqueæ citò transibunt, remanentibus omnibus oleosis.

Animal
ex ovo
generari
Experimento
proba-
tur.

Occasione ovulorum incidit ; non obscure nos antè indicasse , in iisdem latitare foetus primordia : quam opinionem libenter amplectimur , & eò usque defendimus, donec quispiam aliis ratiociniis & experimentis certioribus contrarium demonstraverit. Experimentum interim , nuper institutum , egregiè hîc pro eo militare videtur.

tur. Cani foeminae, tertio post congressum institutum die, extraxi, per vulnus abdomini inflicto, sinistri lateris cornu (cujus ovarium jam duobus ovulis majusculis notabiliter conspicuum erat) inter vaginam & ovarium, medio loco, ligaturâ arctiori constrictum, reposui, vulnusque intra octiduum ad cicatricem perduxi.

Vigesimo primo, post ligaturam injectam, die, canem, cultro Anatomico examinandum, inspicio, & quod ante hariolatus eram, etiam plenè perspexi. Sinistri cornu pars (inter ligaturam & ovarium) duplici foetu erat obsessum; altera verò portio (ligaturam inter & vaginam) planè vacua nobis visa: quod manifestissimè probat, ovula ulterius, quàm ad ligaturam, propelli non potuisse, & in ipsis ovulis, aurâ seminali foecundatis, foetus quærendos esse, non verò in semine virili. Oppositi lateris cornu itidem inspecto, tribus foetibus (sed

E 3

regu-

regulariter dispositis) distentum reperi. Notandum interea , unius atque alterius lateris foetus jam consumptos, & in materiam purulentam pene conversos esse ; cuius rei causam haftenus distinctè concipere non potui.

Lym-
phati-
corum
Ovarii
descri-
ptio
nova.

Sed redeamus , unde digressi sumus , ad Vasa scilicet Lymphatica. Observavimus modò tribus , modò quatuor , subinde etiam quinque ramificationibus ab ovario exire, cumque iisdem alia, sed minora (& rariùs conspicua) conjungi. Ex ovariiis prodeuntia , illa ampla sunt, & sæpe superant crassitiem in Tab. cit. delineatorum. Multiplici valvulâ sunt conspicua, & variis in locis, dum vasis spermaticis hederæ instar eadem amplectuntur , anastomosi junguntur , donec tandem simplici aut duplici ductu , sed satis amplo, faccum subintrent chyliiferum. Uti *Fig. xxxi.* distinctiùs notabit.

Eorum
insula
necef-
sariæ.

Aliquando , medio itinere, insulas ex vasis lymphaticis formatas vidi ,
eodem

eodem ferè modo , quemadmodum
in ductu Thoracico frequentes oc-
currunt.

Propositæ modò anastomoses vel
insulæ , summæ erant utilitatis ; ne
particulæ obstruentes , & mediâ viâ
hærentes , lymphæ viam facilè præ-
cluderent , sed lymphæ mobilis per
ductus laterales , & vasa lymphati-
ca patentia delata , cursum absolve-
ret.

Præter vasa Lymphatica , tùm
Renum , tùm Ovariorum , propo-
sita , alii occurrunt Rivuli lymphati-
ci , quorum nonnulli aortæ & ar-
teriæ Iliacæ incumbunt : alii ite-
rum , in opposita parte , cavæ venæ-
que iliacæ contiguitate juncti sunt.
Hi autem atque illi ab inferioribus
partibus oriundi , Glandulam ingre-
diuntur , inde ex priori in secun-
dam , & aliquando in tertiam , & sic
porro in quartam (nam certus
Glandularum numerus non ubique
occurrit) feruntur , & vel soli , vel
aliis anastomosi juncti , lympham
E 4 suam ,

Arteriæ
Iliacæ
& ve-
næ ca-
væ Lym-
phati-
ca.

suam , in chyli saccum , tanquam in communem cloacam , evomunt. De quibus consule *Fig. XXXII.*

Hocque non tantum in homine, sed & in brutis animantibus (in quibus primum illud detexi) locum habet , cum ea tamen differentia ; quod Glandulæ hîc adeo numerosæ , ut in subiecto humano, non occurrant , verum ordinariò unica in quovis latere (sed major) vel duæ minores conspiciuntur.

Unde
Lym-
phatica
Iliaca
ortum
ducant ?

Unde autem vasa hæc lymphatica originem ducant , haud difficile demonstrarem ; sed de iis, Deo volente, alio in Tractatu, ubi, præter hæc , etiam de lymphaticis artuum (à quibus verus illorum ortus) agere animus erit.

Quæ
mala,
Ovarii
Lym-
phati-
cis, sæ-
super-
veni-
ant.

Quum jam summa demonstratorum eluceat utilitas , sic eadem sua patiuntur incommoda. Longum nimis foret , omnia enarrare mala ab his fontibus & fluminibus oriunda. Quoties quidem prima lymphaticorum principia subtilissima non

non transmittunt lympham crassiusculam , & ita totam sanguinis diathesin invertendo , cachecticam dispositionem inducunt ? quoties partes glandosæ , lymphâ crassiori infarctæ , vel terreâ gypseâve materiâ obstructæ , omnem impediunt lymphæ transitum ? quoties lymphatica , ad crepaturam usque obstructa , per poros suos non transmittunt laticem serosum ? quoties eadem non crepant , lymphamque , pleno gurgite , in abdominis cavum eructant , & ita ascitis incurabilis causæ existunt ?

Quid ! an non sterilitatis causa sæpe latitat in lymphâ illa crassiuscula , tenellas ovulorum partes obstruente & comprimente , dum subtilissimi sanguinis spiritus , ipsumque fermentum seminale virile , frustra in partes obstructas arietant , vix ullam ipsis inducere mutationem valentia ? quoties denique obstructa lymphatica , tubas perreptantia , in magnam molem

assurgentia , & pondere suo latera eorum prementia , ovulorum in tubos impediunt introitum ; talesque casus frequentiores sunt , quàm Medici practici autumant , uti Historiis aliquot , capite sequenti , sumus illustraturi.

Sed notandum hîc venit , uterum cum annexis , Tabulâ citatâ notatum , facie inversâ demonstrari , ut eò distinctiùs , quodvis vas lymphaticum , in conspectum prodiret ; cùm aliàs eadem nunquam accuratè in sensus incurrant. Et licet naturali magnitudine minor exsculptus conspiciatur , quisque tamen , rerum Anatomicarum studiosus , haud difficulter , partes singulas distinguere poterit.

An U-
terus
ipse
Lym-
phati-
ca ob-
tineat ?

Mirabitur fortè aliquis , cur nulla corporis Uteri addiderim vasa lymphatica. Nolim hîc , credat curiosus , lymphaticis illud esse destitutum. Non certè ; statuendum potius , partem hanc , æquè ac alias , suis exornari canaliculis lymphaticis. Ideo

Ideo tamen nec addidi, nec delineavi; quòd hætenus, eâ, quâ par erat, accuratione illa detegere non potuerim. Nihil autem æri incidendum censui, quod multiplici experientiâ non constaret, & quovis tempore demonstrare valeam.

Ne quis autem de rei hujus veritate dubitaret; Uterus bovinus hoc loco vices supplere debuit; in quo copiosa adeo, & tantæ magnitudinis occurrunt, ut cuivis sedulò inquirenti facili negotio appareant. Et quamvis pars antica suis gaudeat ductibus lymphaticis; posticam tamen (quæ lumbos respicit) repræsentare placuit; utpote vasculis majoribus distinctius exornatam. Dextri occurrunt eadem, & finistri lateris, exiguis principiis oriunda, numerosissimisque valvulis conspicua, tandem truncum componunt duplicem, notabilis magnitudinis, qui uterum linquens, rectâ pergit in lymphatica iliaca, & inde in chyli cisternam.

Ute-

Uteri hnjus delineationem vide
Fig. xxxiii.

Ureterum
constitutio,
& calculi in
iisdem.

Circa *Ureteres*, quos Authores à renibus ad vesicam, æqualiter, (sed malè) extensos delineant, hoc observavi, & perpetuæ veritatis esse jam toties notavi; illos nunquam, tam in sexu masculino, quàm foemineo, ubivis esse æquales; sed tribus, quatuorve, & aliquando quinque in locis angustatos conspici; speciatim verò, circa illorum exitum in vesicam, uti *Fig. xxxii.* monstratum dabit. Hinc ratio jam desumenda; cur calculi nephriticorum, sæpe hæreant in itinere, per ureteres faciendo, & patientes, potissimum si calculi latera habeant acutiora, tantos percipiant dolores, uti non ita pridem in variis observavimus. Ureteris propterea partem unam & alteram ita præparavimus, ut quisquis, facili negotio, colligere possit, quo modo, hoc casu, ureteres afficiantur. Uti *Figure xxxiv. & xxxv.* demonstrabunt.

bunt. Quæ præter calculos (tam circa primam ureteris angustiam, quàm ultimam ejus coarctationem) hærentes, etiam vasa proponunt renalia, Adducentia; arteriam scilicet & nervum: nec non Abducentia; venam nimirum, ureterem, & vasa lymphatica.

Si fibræ, ureteris membranas ^{Quid calculum propellat?} componentes, cedere satis nesciant; calculi, incrustationibus novis obducti, incrementum sumunt, ureteremque adeo obturant, ut omnis per hanc viam urinæ transitus denegetur. Ubi verò cedentes fibræ calculos minores transmittunt, & fortiori urinæ pressione, vi sibi viam facientes vesicæ vacuum subeunt, cum urina excludenda, non rarò expelluntur.

Sed observatum sæpius, calculos ^{Calculorum Generatio in vesica.} ejusmodi, mole suâ quidem parvos, sed, ob materiæ unionem compactiorem, in vesica hæreere, calculorum futurorum nucleum constituere, cui facilè incrustationes lapideæ,

pidæ , tanquam stratum supra stratum superveniunt. Hocque iterum facilius accidit vitam sedentariam agentibus , quorum urina tardius in renibus secreta , diutius in vesica moram nectit ; dum particulæ ejus , ex fale volatili urinoso , spiritu limpidissimo , oleo fœtido , & terrâ fatuâ compositæ , nucleoque dicto junctæ , molem calculi adaugent.

Experi-
mento
confir-
matur.

Nucleus itaque talis , aut aliûs naturæ corpus aliquod terrestre , plerumque adesse debuit , ejusmodi poris donatum & superficie , cui particulæ ab ipsa urina secretæ , adhærere & calculi incrementum promovere possent. Ut autem hæc certo magis constarent , experimentum aliquod instituendum erat. Inciso vivi animalis (canini v. g.) hypogastrio , per vulnus inflictum vesica extrahatur , dein per ejusdem vesicæ membranas , secundum ductum fibrarum , instrumento acutiori , in fundo læsas , globulus im-

immittatur ligneus ; mox , contrahentibus se fibris , vesica per vulnus abdomini antè inflictum repellenda , vulnerisque ratio habenda. Animal primo biduo tristiùs quidem , sed brevi post alacriter vivere & comedere incipit. Globulus autem vesicæ jam inclusus , vix aliam animali causatur molestiam , equam quòd vesicam ad excernendam urinam frequentius stimulet.

Hoc in statu animal per aliquot septimanas fervetur : hinc , inspecto abdomine & vesicâ , jucundo planè aspectu observamus ; globulum dictum exiguis calculis , quasi totidem crystallis , esse incrustatum : uti hisce diebus , felicissimo cum successu in Amphitheatro domestico D. D. Studiosis fuit propositum , demonstratumque. Particulam ligneam ex vesica extractam , vestitu calculoso indutam , nobisque inter curiosa servatam *Fig. xxxvi.* repræsentabit. Dissimili haud modo (si parva magnis comparare liceat)
quo

quo saccharum tantum album bacillis suis adhærere videmus. Et hoc quidem modo calculus in renibus primum genitus, bacilli instar, nucleum constituit, postmodum verò in vesica, particulis calculosis, cum urina aliàs excernendis, obducitur, & in monstrosam, tractu temporis, non rarò, magnitudinem excrescit.

Ubi verò ejusmodi nuclei deficiunt, rariùs calculi vesicæ formantur, quoniam corpora non adsunt, quibuscum particulæ hæ heterogeneæ jungi possunt. Hinc non tantùm nucleus talis, aut globus ligneus, sed varia alia, nucleorum instar se habentia, calculorum fundamentum constituere valent. Uti casus sequentes egregiè probant.

Historia
rara.

Adolescens, inquit *Nobilissimus Tulpus*, pag. m. 204. temerarius, fretus juvenili robore, ivit, in India Occidentali, venatum Urum, sive taurum sylvestrem: ferox perfectò, & indomitum animal. Verùm

rùm venatione infelicitèr succeden-
te, ictus fuit graviter à tauri cor-
nu; transeunte vulnere, per perito-
næum, usque in vacuum vesicæ
urinariæ.

Cujus dilaceratæ tunicæ, pluri-
mum ubi colligerent puris; immi-
sit illis Chirurgus, detergendi causâ
ampliorem turundam, concinna-
tam ex complicatis filis. Evenit
autem, sive ægri incuriâ, sive cu-
rantis negligentia, ut turundam
hanc in se attraxerit vesica, obdu-
cens eam primùm mucò, dein verò
concreto calculo.

Unde occludi paulatim vulnus;
remingi continenter pus; & collum
vesicæ urgeri tam perenni mejen-
di difficultate; ut inde moveretur
non levis suspicio latitantis alicu-
jus calculi. Quem etiam tandem
ipsi excidit Lithotomus, æquan-
tem magnitudine pugnum huma-
num: & continentem in se turun-
dam illam, quam diximus Chirur-
go clanculùm fuisse subductam.

F

Libe-

Liberatus hoc modo juvenis ponderosâ hâc mole , evasit ilicò inextricabile illud periculum , quod ipsum aliàs , miserandum in modum confecisset.

Alia. Alius , citato haud absimilis , casus oblatus *Clarissimo* p. m. Collegæ , *D. Lucae Schachtio* : cùm attolitus videret , manu *dexterrimi Lithotomi* nostratis , *D. N. Smaltzii* p. m. per inflictum vulnus , calculi loco , extrahi duas fistulæ tabacinæ partes , callosâ crustâ notabiliter obductas. Quibus oblatis referebat examinatus patiens ; se ante annos aliquot , post Lithotomiam , tunc temporis etiam institutam , pruritum vulneris , nondum consolidati , sensisse molestum , partemque læsam adeò irritantem , ut fistulâ tabacinâ , quam fortè ad manus habebat , vulneris latera exploraverit , & fricaverit pruriginoſa ; hancque fistulæ fractæ partem , vesicam urinariam subingressam , in illum usque diem , ibidem hæsisse affirmat. La-

Lapidis Bezoartici generatio, Lapidis Bezoartici generatio.
 hîc lucem adferre poterit : hunc enim eodem ferè modo , principia sua aliquot duxisse , sæpius observatum. Et qui nuper mihi à spectatissimâ quâdam Matronâ fuit oblatus , pro specimine inservire poterit. Hic , figuræ oblongioris , centro suo abscondebat bacillum , rotundum , oblongum , ab una ferè ad alteram lapidis partem extensum , cui variæ incrustationes lapideæ , diverso colore (flavo potissimum , albo & sanguineo) tinctæ adhærebant. Et quæ omnium extrema , eleganti lævitate conspicua fuit , colore etiam tali , quali ordinariò Lapis Bezoar orientalis donatus esse solet. Lapidis hujus delineationem , unâ cum bacillo , & particulâ , incrustationes repræsentante , videre licet *Fig. xxxvii.*

CAPUT OCTAVUM.

*De Lymphaticis Ovarii , &c.
male affectis.*

Lym-
phatici
in Ova-
rio ma-
le affe-
cti hi-
storia.

Virginis , viginti quatuor circi-
ter annorum , hypogastrium ,
magis ac magis in tumorem abit ,
quo non parum suspecta fuit ha-
bita , & quidem potissimum , quòd
nullum cachexiæ adesset signum ;
sed color faciei floridus maneret.
Inexpectatò illa in alium morbum
incidit (cujus historiam hîc refer-
re , nihil ad rem) & brevi diem
obit suum.

Aperto cadavere & abdomine
inspecto , ut reliqua præteream ,
gravidam eam fuisse , primâ fronte
credebam , ob corpus uteriforme ,
pelvim occupans , nobis oblatum.
Sed oculo propiùs admoto , illud ,
versùs sinistrum magis latus proten-
sum , & ab utero , benè alioquin in
hoc constituto , planè distinctum
vidi.

vidi. Ovarii quippe finistri lymphaticum, mirum in modum extensum, faccum formârat, adulti hominis caput æquantem, lymphæ, admodum claræ & tenuis, pintas ad minimum duas continentem, ipsum ovarium destruentem, & tubæ latera adeo prementem, ut nec styli nec flatûs, per hanc viam, ad uterum daretur aditus. Vide *Fig. xxxviii.* Hæc autem alio morbo ni fuisset extincta, diu adhuc superesse potuisset. Malum interea hocce, quod chronicum esse solet, pro incurabili esse habendum, ex sequentibus fiet manifestum.

Mulier triginta sex annorum bene disposita, à congressu cum marito peracto, ingravidationis percepit indicia, & quæ antè, aliquot jam pepererat liberos, eodem modo se affectam perſentit; hac saltem cum differentia, quòd venter solito magis extenderetur, & jam ad prodigiosam magnitudinem vemiret, quodque tamen patienter
F 3
tulit,

Alia
Histo-
ria.

tulit ; potissimum quum obstetrix & mulieres vicinæ , prognosticum facientes , pro certo haberent , eam si non geminos , fortè tergeminos in lucem edituram.

Illa interim benè colorata , de nullo urgente symptomate conqueritur , nisi quòd spiritum (ob diaphragma nimis pressum) cum difficultate duceret ; & urinæ aliquā incontinentiâ laboraret ; quæ tamen incommoda alacriter superare conata , non immemor , gravidis haud rarò eadem supervenire.

Elapsis itaque novem mensibus , partûsque tempore instante , ex improvviso dolores parturientem apprehendunt , & modicâ aquarum mole elapsâ , foetum sanissimum in lucem edit , foetumque unum aut alterum adhuc sequuturum , nulla adstantium dubitabat ; quòd venter in monstrosam ferè magnitudinem elevatus , parum saltem ab ejus extensione remiserat. Post lochiorum fluxum , viribus recuperatis
ad

ad ordinaria redit munia , ventre non minus elevato , ac si octo vel novem mensium gravida foret.

Decimâ octavâ à partu septimanâ me conveniens , opem meam implorabat , nescia quid mali esset. Quos consuluerat Doctores , alii Asciten , alii Tympanitidem constanter affirmabant. Verùm intelligens , ipsam (balance examinatam) ponderare centum quinquaginta & quatuor libras : ante conceptionem verò , nonnisi centum & triginta ponderâsse , eamque interea temporis obesorem non fuisse redditam , certò concludere potui ; non Tympaniticum , sed Hydropicum esse affectum , nullo tamen modo Asciten : experienciâ enim didiceram , illas , quarum facies colore grato est rosea , quæ satis benè comedunt , bibunt , alvum depouunt , urinamque sine notabili molestia excernunt ; quarum corpora nec purgantibus , nec diureticis , nec diaphoreticis multum auscul-

tant, quemadmodum & hæc: illas, inquam, ordinario affectu Uteri, Tubarum, vel Ovariorum laborare hydropico, lymphamque, peculiari facculo inclusam, nullâ arte extrahi posse.

Suasi itaque, diætam regularem continuò fervandam, malumque hocce incurabile patienter esse ferendum. Illa consilium meum negligens, medicum adit circumforaneum, qui certam ipsi pollicetur curam; quamque etiam aggreditur; sed præscripta varii generis medicamina, malè admodum, cedere videns, patienti, viribus haud parum jam attritæ, prudenter valedixit.

Neque hoc satis esse credebat patienti; relicto circumforaneo, Chirurgum quendam adiit sciolum, & de sua encheiresi, ut solet, satis gloriosum. Hic fronte severâ, habito examine, paracenthesin abdominis instituendam suadet: quamque etiam, sine longiore mora, sequenti die instituit, sed infelicissimo cum
suc-

successu. Aquæ enim , ex sacculo membranaceo exeuntes , parcè admodum prodière , sed abdominis viscera potiùs inundârunt. Accrescentibus ilicò symptomatibus , triduum intra fuit extinctâ. Pluribus Historiam hanc prosequi non potui , quòd cadaver inspicere non licuerit. Manifestè interea docemur , multùm præstare ejusmodi patientes intactas relinquere , quàm , certissimo interitu , mortis horam accelerare.

Plures hujus generis casus referre possem , quos studio prætereo , in praxi mea olim observatos : & hoc ipso tempore nonnullas novi , eodem malo laborantes , nullâ arte restituendas. Notabilis tamen Historia , à Clarissimo D. *Drelincurtio* , Collega honorando , communicata , hîc adjungenda erat.

Die vigesimo Junii , 1681. Domi- Tertia
Histo-
ria. micella 35 annorum , vigesimo ætatis anno viro nupta , quatuor interea pepererat filios , & filias totidem.

F 5

Partus

Partûs temporibus prodigiosam
aquarum quantitatem excernere so-
lita, potissimum partu ultimo, qui
fuit 27. Februarii 1678.

Quo die, elapsis aquis, filioque
fatis vegeto in lucem edito, gemi-
num restare creditum fuit; sed eo
non prodeunte, doloribusque, in
modum novorum conatuum, con-
tinuantibus, vocor. Permagnam
& inæqualem in sinistro inguine
percipiens tumorem, judicavi testi-
culum sinistrum, tumore scirrhuso
obseffum, & consequenter malum
esse incurabile. Brevi notabiliter
adeò venter ejus inflatur, ut exten-
sus magis, quàm tempore graviditatis
appareret: & ab eo tempore,
ad oculum apparuit, tumorem in
majorem assurrexisse molem; usque
dum quarto Maji 1681 vitam cum
morte commutaret.

Ope paracenthesios, quadraginta
ex abdomine extraximus aquæ pin-
tas; &, separato testiculi sinistri
tumore, testis insuper pendebat
libras

libras decem. Tumor erat tuberosus , inæqualis admodum , & totus compositus infinitâ globulorum quantitate , coloris variegati , & consistentiæ diversæ.

Examine distinctiùs instituto , notatum fuit ; testiculum hunc monstrosum , originem sumere , ex vesiculis seminariis , ad illam magnitudinem accretis ; quarum aliæ humorem serosum , & limpidum continebant ; aliæ humorem serosum ex flavo nigricantem , sed mobilem , & leviori attactu , exstillantem : aliæ serum glutinosum & mellicum non absimilem ; aliæ iterum liquorem gelatinosum , crassiusculum , attamen transparentem capiebant. Denique aliæ erant gypsæ & grumosæ , aliæ coriaceæ , & totaliter scirrhosæ , atque ut totidem ganglia conspicuæ , aut ut tot lupi durissimi.

Omnes inter se cohærebant fibris duriusculis , coriaceis , firmiterque peritonæo annexis. Quædam
nuci,

nuci, aliæ ovo columbino, nonnullæ Gallinæ ovo æquabantur ; sed inter illas ternæ conspicuæ erant, pugni magnitudini non cedentes, & non abfimiles illis, quas *Vesalius* describit *lib. 5. cap. 9.* Impossibile visum numerare reliquas, quas comparabam (exceptâ illarum magnitudine differente) cum vaccarum cotyledonibus, partui proximarum.

Lateris hujus affecti tuba flaccidior erat, sed flatum tamen facile admittens. Testiculus dexter, reliquaque uteri sana erant, sed prodigiosæ testiculi sinistri vesiculæ, & potissimum, quæ leviori attactu lympham stillabant, opinionem nostram confirmârunt alicujus hydropis speciei ; quam Magnus noster Hippocrates distinctè notavit *lib. περὶ τῶν ἐν ὄσσι παθῶν*, ubi harum vesicularum, aquâ repletarum facit mentionem ; & , quæ crepantes, originem constituunt, diluvii lethalis, nos inundantis, vitæque

que nostræ lampada extinguentis.

Notandum hîc , quadraginta pintas , ex abdomine eductas , componere stopas Hollandicas decem , sive quinquaginta libras ponderis mercatorum : junctisque insuper decem libris testiculi sinistri ; quis nobiscum non mirabitur , Domicellam potuisse superesse , sexaginta librarum onus in abdomine gestantem , attamen singulis vicibus menses , ut antè , regulares habentem ?

Existimamus observationem 44. lib. iv. *D. Tulpii* , & nonnullorum aliorum malè fuisse enarratam ; quodque , quum assignarent hydroperem , cornubus uteri affixam , debuissent notâsse id , quod nobis notatum , ovi ductus scilicet ejusmodi in occasionibus fuisse sanos , sed ovarium malè constitutum.

Huc usque *Clarissimus Drelincurtius*. Sed , ut pace ejus hoc addam , distinctiùs adhuc judicâset , si vasa ovarii lymphatica , primùm à nobis detecta , ipsi fuissent cognita ;
cer-

certò sibi persuasum habuisset, præter vesiculas seminales, alias occurrere vesiculas, ab obstructis lymphaticis oriundas, lympham, sed aliter constitutam, continentes: quodque etiam haud obscurè apparet ex *Clarissimi J. M. Hoffmanni* observatione *Dec. 2. ann. 5. obs. 207. Ephem. Germ.* Ubi inter alia hæc habet.

Historia
quarta.

Præter ovula, anno abhinc superiore, in cadavere infanticidæ, solertissimis nostris philiatris demonstravi hydatides, sive vesiculas orbiculares, humore limpidissimo repletas, numero tres, magnitudine ovula seminalia vera superantes, & à membrana exteriori, testiculum sive ovarium dextrum, quâ parte uteri fundum recipiebat, involvente erumpentes, proximèque sibi invicem accumbentes, quas cum dein aquæ fervidæ immerissem, humorem inclusum non adeo promte, quemadmodum feminalem ovulorum liquorem, concretum

tum apprehendi , sed aliquantum saltem turbidum factum. Originem dictarum vesicularum si quis ex me quærat , quantum conjecturâ assequi licet , existimo , vesiculas tales evenisse , aut propter ruptas aliquas tunicæ ovarium investientis fibrillas , & lympham hinc in vesicularem formam concretam ; aut propter lympham interceptam , tunicamque ovarii distendendo in vesiculas attollentem : non absimili modo ac à fero , quod cutis poros permeavit , sub cuticula coercito , hancce in vesiculas elevari sæpius cernimus. Huc usque Cl. Author. Quocum circa originem vesicularum harum planè non convenirem ; quum detectis jam vasis lymphaticis , ab iisdem malè affectis , easdem deducere , nihil facilius.

Taceo hîc stupendam partis hujus hydropem , à *Clarissimo D. Munnix* , Professore Ultrajectino , observatam. Nec non raram eam , in cornubus uteri à *Nobilissimo Tulpio*
cap.

cap. XLIV. f. 369. notatam ; quorum affectuum causa & origo rectius manifestabitur , si ad Lymphatica nostra tum Ovarii , tum Tubæ Fallopiianæ recurramus.

Prætereo insuper tot Hydatidum genera , variis in abdominis partibus conspicua , & hepatis etiam superficiem concavam , non rarò obsidentia. Vesiculæ autem istæ, vasa lymphatica sunt , quorum ductus , in quibusdam tractibus, obstructiones patientes , à tergo arietante lymp̃ha , in vesiculas, primò minores , sed sensim majores , attolluntur ; quæque etiam, pressio si major fuerit , lymp̃haque acrior , disrumpuntur , lymp̃hæque in abdominis cavum eructatâ , periculosæ Ascitis signa manifestantur.

CAPUT NONUM.

*De Lymphaticis Peritonæi ,
hujusque Hydrope , Historiæ
Rariores.*

Anatomicos inter curiosiores An Pe-
rito-
næum lis agitatur atque controversia: Lym-
phatica
habeat
*An Peritonæum Lymphatica obti-
neat , nec ne ?* Plurimi eadem ne-
gant , & potissimum ii , qui nulla
admittunt lymphatica , præter-
quam , quæ à glandulis conglobatis
oriuntur : & cum nullas in Peri-
tonæo detegerent tales glandulas ;
certò ipsis conclusum ; ejusmodi
lymphatica non occurrere.

Alii tamen , inter quos *Clarissi-
mus Rudbeckius* , curiosus sui tem-
poris vasorum lymphaticorum in-
vestigator , se eadem inter musculos
abdominis , transversos & obliquos ,
Peritonæum perforantia , & chyli
cisternam ingredientia , vidisse affir-
mat. Nos tamen situm illorum
vasorum longè alium ibidem inve-
nimus ,

nimus , hincque necessarium duximus in eadem diligentius inquirere , ut Novi illius Morbi (novum voco , quòd antè incognitus fuerit) causam , *Peritonæi Hydropem* intelligo , rectius perlustraremus : cui rei experimentum , in canibus institutum , jam proponendum , lucem non mediocrem attulit.

Metho-
dus di-
cta vasa
inve-
niendi,

Urethrâ ligamine priùs constri-
ctâ , per inflictum venæ crurali vul-
nus , tantam liquoris diuretici in-
fudi quantitatem , quantam animal,
ne extingueretur , ferre posset , san-
guinemque hinc arteriosum , & con-
sequenter etiam lympham , tinctu-
râ nostrâ gravidam (quo etiam ne-
cessariò lymphaticâ distinctius pro-
deunt) conspicua reddidi , & inter
illa mihi selegi , quæ venarum , quas
musculos superiores Anatomici vo-
cant , consortio gaudent , uti *Figur.*
XXXI. antè citata , notabit. Qualem
autem in cursu , versùs chyli cister-
nam , lymphæ hujus sibi eligat viam ,
eadem *Fig.* monstrabit.

Liga-

Ligatis , hoc modo , circa exitum venarum dictarum , lymphaticis , statim eorum ramificationes , inter musculos abdominis & speciatim ex membranis , dictis musculis propriis , nec non inter duplicaturam Peritonæi , hinc illinc dispersas notavi , aliudque principium invenire non potui : ibidem autem verum esse principium , eò facilius credidi , quod in tot aliis partibus membranaceis , veram detexerim lymphaticorum originem.

Vasa illa , variis ramificationibus in unum truncum abeuntia , iterum in tres quatuorve dividuntur ramulos , per supremam Glandulæ Iliacæ partem dispersos , unde iterum pergunt in vas lymphaticum majus ; venæ cavæ incumbens , aut latera ejus tangens.

Hæcce autem lymphatica eadem & graviora pati mala perquam necessarium videtur : præterquam enim quòd , ut reliqua , obstructiones patiantur , in hydatides abeant ;

Quomo-
do male
affician-
tur Lym-
phatica
perito-
næi?

& ita variæ magnitudinis vesiculas (uti historiæ testantur) forment: insuper ab abdominis musculis, solito magis extensis, illud periculi subeunt. Speciatim id in voracibus, helluonibus, & passim in gravidis metuendum. Dum ab una parte musculi extensi renitentes, ab altera ventriculus, intestinaque ingestis repleta, vel uterus notabiliter gravidus, tanta cum vi premit, ut non exiguus adsit metus, ne vehementi illâ pressione dicta vasa lymphatica crepent, lymphaque, uti non rarò contingit, intra duplicaturam peritonæi deponatur.

Quid mirum itaque, peritonæum hoc modo facciforme reddi; continuo aquæ stillicidio, membranam unam ab altera recedere; externè musculos abdominis unâ cum integumentis, internè verò viscera nimium comprimi, indeque maximas in œconomia animali excitari turbas, uti sequens historia testificatum dabit.

Anna

Anna K. quinquagenaria , aliquot liberorum mater , quadragésimo ætatis anno , post irregularem menstruorum fluxum , passionibus Hystericis graviter affici cœpit ; iisdemque vix liberata , de dolore & tensione in hypogastrio , cum umbilici prominentia , fuit conquesta. Malis hisce indies magis ac magis se extendentibus , quarto miseriarum suarum anno , de alio insuper , à priori distincto tumore , partes magis internas & uterinas occupante , multoties conqueri cœpit. Abdomen interea , præ singulari illa extensione , & ob umbilici prominentiam , pugni magnitudinem facilè superantem , monstruosæ jam magnitudinis conspiciebatur.

História notabilis Hydro-
pis Peritonæi à laceris Lymphaticis.

De continuis præterea lumborum doloribus , non levium molestiarum suarum causis , non temerè conquerebatur , uti per excretionem multorum , diversæ magnitudinis , calculorum satis fuit manifestum. Et quamvis urgente siti , ut

plurimum multum biberet, non nisi parum tantum pallidiusculæ, nec sine magno sæpe dolore, excernebat urinæ.

Quadragesimo octavo ætatis anno, cessante jam evacuatione menstruâ, magnam coagulati sanguinis per uterum excrevit quantitatem; appetitus, siti auctâ, minuebatur, & respiratio per intervalla adeo ipsi fuit difficilis, ut sæpe, cervice erectâ, spiritum ducere fuerit coacta. Alimento demum omni, omnibus recusatis remediis, viribusque attritis, tandem miseram cum morte commutavit vitam.

In aperto cadavere, 1680. die 21. Januarii, sequentia observavimus, præfente *Clarissimo, Experientissimo, Doctore, D. E. Edingio.*

Superiores corporis partes, thorax scil. caput, manusque macie pene consumptæ; pedes tamen notabiliter à naturali non declinabant statu, nisi quòd sinister dextro reperiretur distentior.

Para-

Paracentesi prope umbilicum institutâ , nonaginta & quinque fluximus aquæ libras , quam fluidam ubivis , & cerevisiæ Roterodamensi , quoad colorem , non dissimilem invenimus. De aliquali eandem participasse falsedine , conjicere licuit , ex particulis scintillantibus , superficiei aquæ innatantibus.

Factâ musculorum abdominis , macie ferè consumptorum & putrefactorum , cruciali incisione ; vitium nobis aliud , primâ fronte non apparuit , quàm in hydrope ascite observare solemus ; verùm in hepar inquirentes , attoniti stetimus , quia nullum omnino reperiébatur , adeoque novum morbi genus ibidem manifestatum iri. Pergebamus itaque in omenti , ut & intestinorum , mesenterii , pancreatis , lienis , renum , &c. inquisitione ; verùm nihil reperimus , ita ut unanimi consensu jurâssemus , nullum illorum viscerum adfuisse , imò ipsas partes ute-

rinas (notabili tumore pyriformi conspicuas, infantis primum nati caput magnitudine suâ superantes) distinguere non potuimus. Harum namque partium tumor materiâ purulentâ summè distentus, adeò obscuram reddidit partium harum faciem externam, ut eo momento nihil distinctè dijudicari potuerit.

Dictis itaque partibus accuratio-
re manu investigatis, cultri aciem
profundiùs adegimus, & mox
omnia, quæ antè latuerant, sese ma-
nifestârunt viscera; peritonæum-
que sacciforme induisse figuram,
intra cujus duplicaturam tanta a-
quarum moles abscondita fuerat,
observatum; internamque mem-
branam ab externa secessisse, & ad-
eò incrassatam fuisse, ut altera tan-
tùm Peritonæi lamina naturalem
hujus membranæ constitutionem
triplo quadruplove crassitie suâ
superaret, & cavitate suâ accura-
tissimè aquam extravasatam serva-
ret,

ret, ut ne guttula quidem abdominis viscera irroraret.

Separatâ etiam interiore Peritonæi membranâ, advertēbamus, ne minimam quidem adesse omenti portionem, sed intestina flaccida, vacua & (aquæ pressione) invicem quasi contracta, serie tamen & ordine solito occurrere. Uterus, cuius tubis alisque vesiculæ quædam exiguæ, aquâ lymphidâ plenæ, adhærebant, cuiusque ovaria varia exornabant ovula, solito se habebat modo.

Ren dexter flaccidus & ferè consumptus, sinister verò laudabilioris apparebat aspectûs, cuius tamen canaliculis, in pelvim hiantibus, varii adhærebant, diversæ magnitudinis, calculi. Hepar naturalis constitutionis, ut & Lien; nisi quòd naturali minor conspiceretur, cui tamen, ut & plerisque abdominis visceribus adeò firmiter adhærebat interior Peritonæi membrana, ut non nisi summa cum mo-

lestia ab iisdem avelli posset.

Ut reliqua, Morbi hujus historiam spectantia, præteream, & ea tantum, quæ Peritonæi Hydropem concernunt, proferam; haud abs re futurum putavi, si probavero morbum hunc adeò rarum non esse, sed frequentius quidem in praxi occurrere, licet omnes tam Veteres quam Neoterici, de vero hujus morbi fonte nec judicare, nec curam convenienti methodo instituire potuerint. Frequentius autem morbum hunc occurrere, haud obscure ex Veterum Neotericorumque scriptis colligere possimus. Consule præprimis egregium p. m. Amstelodamensium Practicum & Virum Consularem *Nicolaum Tulpium*, qui sequentem nobis reliquit Historiam lib. iv. cap. XLIII.

Alia
Histo-
ria.

Jugitta, inquit, Pictoris uxor, cui venter ab ineunte ætate fuerat durus ac distentus, sentit eundem, mensstruis minus convenienter fluentibus, quotidie magis magisque ele-

elevari , paulatimque in eam excre-
fcere molem , ut contineret centum
& decem aquæ libras , uti post
ipſius obitum , omnium oculis ex-
poſuit anatome , verus Medicinæ
oculus. Quod tamen exuberans
aquarum pondus , ſine magna cor-
poris ac virium jactura , tam aptè
ſeptem plus minus annis , tulit mu-
lier animoſa ; ut potuerit perinde
atque ſaniſſima , non quocunque
tantùm deambulare , verùm etiam
peregrè proficiſci , & quod mireris ,
aſcendere excelfam Clivenſium
turrim.

Diſſectò verò cadavere , apparuit,
omnem hanc aquarum congeriem
delituiſſe inter duas Peritonæi tu-
nicas , quæ induerant craſſitiem di-
giti annularis , ſub quarum infima
parte , conſpiciebantur pleraque
omnia viſcera ut ſarta & tecta , ſic
etiam ab omni omnino incommo-
do ac detrimento integra & tu-
ta &c.

Similem Peritonæi Hydropem
vidit

vidit *Cl. G. Stratenius* Principi Araufionensi p. m. à Medicinis.

Viginti novem libras aquarum, distentas reddidisse Peritonæum cujusdam virginis 20. annorum, post mortem inspectæ, testatur *Cl. Blasius* observ. Medic. part. 1. obs. 18.

Haud absimilem casum refert *Martinus Bogdanus* observ. Anatom. Chirurg. obs. 11.

Audi præterea *Marcellum Donatum* fol. 340. Quamvis, ait, Galenus proprium aquæ hydropis locum, cavitationem magnam abdominis internam statuatur, nihilominus & intra Peritonæum & reliquas partes, inferiorem ventrem constituentes, aquæ portiones sæpe reperiri sectione comprobatum est. Et *Jacobus Camenicensis*, Epistolâ ad *Andr. Mathiolum* lib. 5. Epist. refert de quodam, cui aqua inter tunicas Peritonæi adinventâ fuerit.

Denique *D. Helwigius* in Ephem.

phem. Germ. notat ; in cadavere cujusdam mulieris inter duplicaturam Peritonæi , aliquot menfuras feri foetentis repertas fuiſſe. Verùm omnes cum præfato modo *Tulpio* incertam morbi cauſam pronuntiant , ſiquidem via , per quam lymphæ inter Peritonæi perveniat membranam , ipſos lateat : quum nobis luce meridianâ clariùs appareat , à vaſculis hiſce lymphaticis laceris , hanc hydropis ſpeciem originem traxiſſe , copiamque humoris lymphatici eructatam fuiſſe.

Inſolitus hîc aquarum ſitus , CO-
gitandi anſam dabit Eruditis , quid
manus Chirurgicâ , in extrahendis
hiſce aquis , valeat ; & quale inde
ægrotantes , percepturi ſint emolu-
mentum. De quibus propterea in hac
hydropis ſpecie longè tutiùs expeditiùsque paracentefin inſtituere
licebit , quàm quidem in aliis hujus
naturæ morbis , in quibus viſcera
naturaliter alioquin diſpoſita , ab
irrorante & conſpurcante hac aqua
ita

An pa-
racen-
theſis
hîc lo-
cum ha-
beat ?

ita ordinariò vitiantur ; ut , extracta licet aquarum mole , nihilominus ferè semper moriantur ægrotantes ; in hoc verò casu , abdominis viscera illæsa manent , & planè libera à lymphæ hac extravasata , plerumque malè constituta.

Prudentioris itaque Medici erit , vigorem patientis considerare , qui si constans maneat , fluctuationem ferè nullam persentiat ægrotans , gratum & vividum faciei colorem si servet , exercitiis notabiliter non fatigetur , eo in casu encheiresi Chirurgicâ elicere licebit , quam saccus hic Peritonæi continet aquam.

Confir-
matur
exem-
plo.

Quæ sequitur Historia , hocce confirmare videtur. Reverendi Pastoris conjugis , tumor adeo ingens in dextro inguine paulatim subnascitur , ut nec corpus erigere , nec progredi sine ligneo adminiculo posset. Vocatus in consilium , tumorem , præmissis universalibus , per debita linimenta & emplastra ,
fatis

fatis diu applicata , resolvere tento ;
cæterum dum eundem , neque di-
scuti , neque emolliri , sed indies
potiùs augmentum capere cerno ,
ex tumoris figura circulari , & sup-
pressis menstribus , malum profun-
diùs delitescere , & quidem in ipsa
uteri tuba persuasus , de Paracente-
si cogito , & dum ægram operi fa-
ventem intelligo ; Chirurgum lan-
ceolam , in decliviorum tumoris
partem , satis profundè adigere ju-
beo ; sed cùm nihil , nisi modicum
sanguinis , efflueret , turundam lon-
giusculam & duriusculam vulnere
intrudere eidem præcipio , quam
cùm eodem die iterum extraheret ,
aqua limpida & inodora ex vul-
nere cum impetu profilit , quæ dein-
ceps ad plurimum librarum mensu-
ram per vices extracta , præter il-
lam , quæ per vacua musculorum
spatia in crus lateris affecti destil-
laverat , illudque in immensum tu-
morem substulerat , qui tamen fa-
sciiis lineis , phlegmate vitrioli con-
sper-

spersis, cruri circumpositis, sæpius-
que renovatis, intra paucos dies
discussus est, vulnus ultra trimestre
spatium apertum servatum, dein
debitè clausum, matronaque opti-
ma integræ sanitati restituta, &
post iterum imprægnata filiolum
sanam feliciter peperit. Hæc *Clas-*
rissimus Th. Bartholinus habet
tom. 1. act. med. p. 140. affectumque
hunc ut Tubæ aut Ovarii Hydro-
pem considerat.

Nos judicaremus potiùs, Hy-
dropem fuisse Peritonæi; quod in-
ciso tumore externo, unà cum tuba,
aqua in cavum abdominis aliàs se-
se exonerâisset, & ita viscera ejus
conspurcâisset, non sine præsentia-
neo periculo sanitatis. Si dicas co-
alitur fortè fuisse ovarium tubam-
que cum peritonæo; neque hoc pro-
babile, quia nemo Anatomicorum
(saltem quantum nobis constat)
coalescentiam harum partium, hoc
modo, unquam observavit. Et
quod iterum fuerit imprægnata
mulier,

mulier, illud ipsum probabiliter indicat, tubas cum ovariis non fuisse affectas. Præterea vulnus, per trimestre spatium, apertum sine noxa potuisse servari, incisis abdominis integumentis, cum musculis peritonæi & tubis, nemo facile mihi persuadebit.

Statuendum itaque, Hydropem fuisse Peritonæi, uti ex loco affecto & tumore circulari, qui se manifestabat, constat; prior autem sanguinis proventus à musculi oblique ascendentis incisione facile deducitur. Lymphæ nihil, post primam incisionem, egrediebatur, quod latera membranæ peritonæi crassiora incisa, pressione musculorum abdominis, adeo arctè fuerint unita, ut nihil aquæ exierit; verum, ab immissa turunda duriuscula & longiuscula, dilatatum vulnus magis patulum redditum, & hoc modo aquis exituris viam præbuit.

Haud absimilem Historiam Medicus mihi familiaris in foemina, septem

Aliud
Exem-
plum.

ptem liberorum matre , notavit. Patiens , anno 1666. febre ardenti continuâ , haud parum fatigata , & jam penè ab eadem liberata , abdomen sibi fenſim elevari , & ita extendi percipit , ut menſtruo ſpatio , præ nimia aquarum mole , ſpiritum ducere vix ampliùs poſſet. In conſilium vocatus medicus , poſt varia incaſſum tentata , paracentefin proponit , quam etiam lubenter admittit anhela patiens , & undecim dierum ſpatio , partitis vicibus , Methodo Barbettianâ , viginti quinque libras aquæ eduxit Chirurgus , præſente Medico.

Interea temporis non deſinit patiens , ob prægreſſam febrim , admodum eſſe languida , liberaliùs licet reſpirans ; ſed quæ nihil antè præſtârunt medicamenta , per os aſſumta , (factâ hâc operatione) haud difficilè reliquam ſaburram , aut diureſi , aut catharſi expulerunt. Donec tandem feliciter reſtituta in publicum prodierit , ad munia ordinata-

dinaria redierit , & ab illo tempore sanissima vixerit ; quo in statu & hodiè adhuc versatur , annum agens sexagesimum septimum.

Quæritur ; Quare uterum gerentes præ aliis magis obnoxia Peritonæi Hydropi sunt ? quod difficile conceptu non erit , si consideremus tempore graviditatis , musculos abdominis & peritonæum , mirum in modum ab utero extenso distendi , quâ occasione vascula Lymphatica Peritonæi comprimi necessum erit ; compressione illâ , motu lymphæ præpedito , lymphæ hoc modo pressa hydatidem format ; quæ tamen multum extendi nequit , ob partium circumjacentium renitentiam ; hinc crepant , lymphamque intra duplicaturam peritonæi deponunt.

Factâ jam paracentesi , earundem partium pressio , extremitatem vasis lymphatici , lympham eructantis , disrupti iterum comprimit ; vas læsum , fibris circumjacentibus sese contrahentibus , ulteriorem lym-

phæ egressum impedit ; & in eo curationis fundamentum consistere videtur. In Hydrope Ascite vero, si à vasculis lymphaticis disruptis orta, idem non contingit; vasculum enim semel ibidem disruptum & apertum difficillimè clauditur, quòd liber lymphæ exitus non impediatur; & hæc est ratio, cur adeo periculosus sit Hydrops Ascites, à disruptis vasculis lymphaticis ortus.

Aliquoties operationem in Ascite laborantibus institutam vidimus, sed ubivis eventu infelici. Hocque etiam omnes, quos novi, Practici experientissimi, & in arte sua Chirurghi versatissimi, uno ore testantur. Imò ingenuè mihi confessus est Chirurgus longè celebris, se sæpius quidem paracentesin abdominis, sed nunquam cum successu, instituisse.

Interim fatius aliquando, anceps quàm nullum experiri remedium; quandoquidem non deficient histo-
riæ

riæ variæ , operationis successum confirmantes. Notabilior est casus, à *Clarissimo Pechlino* Observ. Medico-physic. obs. LXII. nuper propositus, quàm qui hîc locum non haberet. Inter alia, inquit, remedium genera & ausus periculosos, merito referam Rustici Cimbri temeritatem. Hic, cùm ab aliquot inde annis, Hydrope Anasarcâ, tandem & Ascite, laborâisset, mole aqualiculi planè monstrosi offensus, nihil non tentare decreverat, quo à malo tam incommodo & periculoso liberaretur. Igitur oblata à quovis pharmaca, dura quoque & vehementia, animosè hauriebat, neque ipsi Euphorbio parcens: quibus etsi ventrem subinde extenuâset, redibat tamen identidem tumor, ventremque novâ colluvies ampliabat. Accidit fortè, ut Chirurgus ibi vicinîæ haberet, quod ageret à Nobili viro evocatus, quo audito, cùm glebæ ejus adscriptus esset, impunè à se Chirurgi operam

Para-
centesis
feliciter
institu-
ta.

implorari posse putat; rogat igitur, & non tantum fatigat, velit desperato morbo consilio suo adesse, & vel ancipiti medelâ curationem experiri. Itaque Chirurgus quærit, quis ille esset morbus, & quamdiu hæssisset, tandem etiam quibus remediis esset vexatus? Ubi Rusticus tantum non omnia à se usurpata refert, ergo aliud exspectare, quamvis extremum, modò profuturum. Cui Chirurgus unum se ait famâ accepisse, sed crudele remedium, nunquam tamen à se vel visum aut factitatum; movet salivam Rustici experimenti novitas, & quæ demum illa esset medicina, diceret, precibus contendit. Narrat igitur Acum esse Argenteam, eamque acutam & excavatam, quæ non percutere tantum ventrem, sed & fluentem excipere aquam possit, eâ tamen lege atque omine, ne simul & semel tota emittatur, ita enim repentinæ mortis inevitabile periculum esse. Ad hæc Rusticus an-

animosior paratum se monet, qui
sævæ manûs experimentum admit-
tat. Ille autem negare statim, tan-
tum sibi esse exercitationis, ut hoc,
absque exemplo à se viso, audeat;
deesse dein justa & necessaria in-
strumenta, Acum & alia: videri
etiam, aquas jam nimis diu hæsisse,
visceraque fortè corrupta sanatio-
nem respuere. Cùm igitur Chirur-
gus se subtraheret operæ quæsitæ,
& tamen mortem propediem adfu-
turam crescentes aquæ indicarent;
ipse Rusticus rem animo versans, &
tantundem esse cogitans, quâ acie
foramen paretur, urget Chirurgum
monetque, dum moriendum sibi
est, malle tamen se ante ancipitis
remedii aleam experiri, quàm si-
ne eo mortem oppetere. Anima-
tus proposito Rustici Chirurgus,
postridie ejus diei, novaculæ aciem
in subsidium vocat. Signatumque
locum lentè, &, quâ potest pruden-
tiâ, pertundit. Sequitur protinus
aqua, sed foetida quàm maximè, &

cum illa putida omenti frustilla. Exterritus novâ rei facie Chirurgus, digito, quantum potest, vulnus occludit, suadetque serò institutam operationem, penitus intermittendam. Instat tamen Rusticus, & incoceptum opus abrumpi ægrè fert; suadet ergo vel suo periculo, aquis exitum procuret, cum quibus etiam sic corruptis vivere se posse negat. Sequitur consilium Rustici Chirurgus, fluentisque sed foetidi rivi cantharos quasi duos, jam etiam Vesiculis aliquot, fortè ab omento abrais, amphorâ excipit, jamque functus officio videbatur, cum Rusticus plusculum emitte serò rogat, & Chirurgus durissimi hominis, feri jacturam sine animi deliquio sustinentis, fortunam miratus facilè consentit. Ergo emittitur tertius cantharus, post quem nihil ampliùs, vel renitente Rustico, exire passus Chirurgus vulnus obligat, fatisque hominem permittit, ex foetore illo eventum tri-

tristiore vicinamque mortem auguratus. Interim se cibis potuque vini erigit Rusticus, & ad novam missionem præparat; quod cum post triduum præstare se velle negat Chirurgus, tandem bonis verbis, certâque valetudinis melioris spe adigit: itaque referatur vulnus, duoque interim canthari extrahuntur, dum labascere Rusticus coepit, vinoque refici opus haberet. Verum & hæc præteriit tempestas, & identidem ad novas missiones Chirurgum impulit Rusticus, eâ fortunâ, ut evocatis cum tempore xv. cantharis, vulnus ex arte tractatum coalesceret, & solius Absinthii frequentato Decocto valetudinem & vires reciperet, certè levioribus operis rusticis pergendis sufficeret. Adeò, quos consilium non sanat, temeritas adjuvat.

Eventum haud minus felicem, anno superiori, observavit *Experientissimus Dusseldorpiensium Practicus,*
H 5

Alia
historia
paracen-
tesios
succes-
sum con-
firmans.

eticus, D. Hofstad. Uti Filius ejus paternarum virtutum dignissimus hæres, mihi retulit. Mulieri (ita loquitur Parens) cuidam, 22. circiter annorum, in Pago Homberg, Ducatus Montensis, sextâ, post primum foetum enixum, septimanâ, infimus venter sensim & sensim intumescere coepit: qui tumor, duorum mensium spatio, summo cum dolore & cruciatu, unde reliqua membra macie consumpta, cum pulsu frequentiori, febrim hecticam prognosticante, ita accrevit; ut consilium meum petierit. Satisfactus quodammodò petitioni, præscripsi Cataplasma aliquod anodynum & emolliens, quamvis nullam restitutionis spem, sine sectione, superesse, marito ejus indicaverim. Hic propterea, octiduo elapso, cum dolores continuos tolerare patiens amplius non poterat, à me incisionis administrationem petiit.

In latere itaque dextro, prope umbi-

umbilicum , (loco atramento priùs notato) manu Chirurgi , & acie scalpelli ordinarii , operatione feliciter peractâ ; mox materiam liquidam , feri lactis crassiusculi instar , ad mensuram unam eduximus. Hinc , doloribus haud parum mitigatis , singulis diebus mensura circiter una , sed interpolatis vicibus , extracta. Hocque modo paucis diebus , decem circiter mensuræ , ex cavitate abdominis evacuatae , cum totali ventris subsidentia. Vulnus inflictum , per trimestre circiter , cannulâ plumbeâ (qua materia adhuc superflua sensim exiret) apertum servatum. Ita tandem convaleuit , & in perfecta sanitate adhuc superstes vitam degit.

Lympham , paracentesi , felici itidem successu fuisse extractam , notabili casu probat *Clarissimus Brunnerus* Eph. Germ. Dec. 2. ann. VIII. Observ. c. Sed rarissimæ hæ sunt in terris aves. Neque propterea Practicis , potissimum junioribus , simili-

milibus in casibus, si famæ suæ consulere velint, operationem hanc temerè commendare licebit; ne experimento malè cedente, uti ferè semper solet, malè apud vulgus audiant.

Perito-
næi Hy-
datides
Asci-
tem
men-
tiuntur
aliquan-
do.

Non tamen ubivis in hoc affectu crepant antè memorata lymphatica, sed notabilem aliquando, absque dilaceratione, ferunt distensionem, & in vesiculas aquâ limpida turgidulas, quas Hydatides vocant, attolluntur: & speciatim iis quidem vasorum lymphaticorum in partibus, quæ binas inter vasorum valvulas occurrunt: quia jam aqua nec prorsum propter obstructionem, nec retrorsum fluere potest, ob valvularum interceptionem, interstitia intumescunt in figuram orbicularem aut ovalem, qualis in Hydatidibus vulgò cernitur.

Histo-
riæ Hy-
datides
mesen-
terii
propo-
nentes
variæ.

De tali Hydrope Peritonæi vesiculari, mentionem facit *Solenand.* Consil. 15. ubi plures ducentis vesiculas, ovorum instar gallinaceorum,

rum , sed molli & putidâ aquâ repletas , eductas se vidisse affirmat.

Laz. Riverius Observ. commun. ultimâ, de tali Hydropico quodam hæc narrat. Rusticus quidam Hydropicus factus , abscessum passus est in dextra parte abdominis, eoque aperto infinitus propemodum vesicularum numerus egressus est , ut ducentarum numerum excederet , idque per plurium dierum spatium , & sic omnino curatus est.

Non ita pridem Experientissimus quidam Practicus , & amicus mihi familiarissimus , innumeris similibus vesiculis sive hydatidibus peritonæum obsessum vidit in cadavere cultro anatomico subjecto. Et qui plures hujus naturæ Casus legere cupit , Practicorum scripta consulere poterit. In quibus haud rarò occurrunt.

Ejusmodi autem Hydatides, non tantum generantur in parte Perito-
næi

næi jam proposita , sed & in omnibus aliis , ubi Lymphatica Peritonæum percurrunt. Hinc Hydatides illæ facciformes redduntur , & non malè propterea *Cl. Merklinus* , Eph. Germ. Dec. 2. ann. VIII. obs. XXIII. hanc Hydropis speciem , *Asciten* vocat *Saccatum*. Uti peculiari Exemplo comprobatur ; stupendæ magnitudinis intumescentiam proponendo , cum interveniente partu felici. Mulier, inquit, bono aliàs corporis habitu prædita , jam ante hoc circiter quadrienium , de præternaturali totius abdominis , eâque inæquali intumescentiâ , conqueri cœpit ; hincque omnis generis salutaria medicamenta , cathartica , diuretica , &c. ad *Asciten* proficua , sed sine ullo levamine adhibuit. Tantùm namque abfuit , ut venter inde refederit , sed potiùs majus subinde sumperit incrementum. Quare suspicio de imprægnatione incidebat ; nec ea vana. Felici enim celerique par-

partu , omnium cum admiratione enititur prolem , optimè quoad omnia membra conformatum sanum atque vegetum , spe plenissimâ fore , ut jam abdomen , deposita in cunas farcinâ , detumescat ; sed quæ iterum decollavit , quandoquidem inflatio illa , non solum nihil quicquam à partu remisit , sed potius successu temporis , indies magis magisque stupendum in modum succrevit , cùm Fœminæ doloribus tensivis continuis. Quæ cùm immedicabili hoc malo , ultra integros quatuor annos laborâisset , accedente extremâ respirandi difficultate , obiit 26. Jun. 1689. Quo ipso deprehendimus , monstrosum hunc ventrem suo ambitu secundum latitudinem tres integras ulnas complevisse ; factoque in eo foramine continuè mensuras octoginta octo , sive libras medicas ducentas sexaginta quatuor aquæ turbidæ , subcruentæ ac putrilaginosæ effluxisse , inaudito certè exemplo , & omnem
faci-

facilè fidem superante, ni varii, qui adfuerunt, & fide dignissimi viri, id mecum attestarentur.

Nunc quid monstri venter iste intus aluerit, paucis exponam; nempe eo cultelli vi aperto compertum, aquam illam ibidem contentam, peculiari sacco, sive utri amplissimo inclusam fuisse, qui subtus Peritonæo adeò leviter adhæsit, ut ab eo digitis interpositis facili negotio separari potuerit; cætera superius sterno, inferius osse pubis & utroque latere vertebris lumbaribus ipsisque renibus per membranarum congressus tenaciter annexus; ut, ubi ortum sumpserit, liquidò sciri nequeat; nisi fortassis in dextro hypochondrio ideo credere velimus, quia ibi maximus, duosque pugnos magnitudine superans tumor, ex multis conglomeratis glandulis ac hydatidibus constans, quales etiam in eadem regione, plurimas limpidissimâ aquâ plenas vidimus, ex eodem utre succrevit.

crevit. Reliqua abdominis viscera maximam partem intaminata conspeximus.

Ejusmodi autem hydatides, non minus frequentes, aliquando sub vesica, & in illa Peritonæi parte, quæ ossis sacri tegit basin, conspiciuntur. Duæ enim, quæ ibidem occurrunt, Glandulæ novæ, quas *Sacras* voco, vasa à vicinis partibus admittunt & emittunt lymphatica, ab iisdem etiam partibus lympham accipientia, & in Glandulas, *Ilicas* dictas, deferentia, ut hâc viâ versùs cystin pergant chyliferam. Vide *Figur. xxxi.*

Lym-
phatica
Sacra
quænam
sint?

Quid mirum itaque, Glandulas hæc, unâ cum Lymphaticis suis, à vesica urinaria, urinâ solito magis distentâ, comprimi, ansamque dare, cur necessariò lymphæ illa, in motu suo hoc modo præpedita, lymphaticorum latera ita expandat, ut vesiculas componat sacciformes? Interim frequentius contingit, modò dicta vasa, lymphæ acrioris
I motu,

motu , dilacerari , lymphamque in abdominis cavum deponi.

Lym-
phatica
Meso-
coli,

Eadem consideratio hîc locum habet in Lymphaticis Mesocoli, in quo propè Coli terminum, non longè ab intestino recto, duplex itidem occurrit Glandula , Lympham ab intestino colo excipiens , eandemque versùs viam , modò propositam , vehens : hoc tamen cum discrimine , quòd alterum vas lymphaticum Iliacam dextri , alterum Glandulam Iliacam sinistri lateris subeat ; uti eadem *Fig. xxxi.* suprà citata notabit.

CAPUT DECIMUM.

De Peritonæi Diverticulis Novis.

Nihil quidem vulgatius inter Medicos Præcticos , quàm in Herniis , Intestinali vel Omentali, Peritonæi processus , ut vias nimium patulas , easque aut laceras aut relaxatas , quæ intestini aut omenti partem excipiunt , culpare : verùm
fciant

sciant illi, ejusmodi processus, in quadrupedibus, maribus quidem, nullatenus verò in sexu masculino humano occurrere, omnesque in hoc sexu hernias, quotquot mihi examinare licuit, semper à violenta Peritonæi extensione fuisse productas, non verò à processibus dilatatis, sed à corrugata Peritonæi parte, in regione inguinali abdominis conspicua, lateraliter vasa spermatica (sub Peritonæo sita) tangente, & à prementibus intestinis, vel omento, sacciformem figuram induente, magis minusve extensa, prout major minorve intestinorum portio eandem premendo subeat; salvis manentibus vasis spermaticis, quæ intestina aut omentum prolapsum non tangunt, nihilque incommodi sentiunt, præterquam quod à sacco Peritonæi formato premantur, & ita circularem, hac in parte, sanguinis motum turbent. Quæ, datâ occasione, pluribus sumus descripturi.

Diver-
ticula à
Proces-
sibus
diversa.

Hernia
Fœmi-
narum
Ingui-
nalis
unde ?

Hæcce, præter alias Herniarum Species, in utroque sexu obvias, auditoribus meis anno superiori demonstrandi, difficile visum fuit explicare, quâ *Herniæ fœminarum inguinales* orirentur? Experimentiâ quidem jam aliquoties didiceram, à motu corporis animique vehementiore, graviditate, &c. non rarò, vel subitò, vel sensim ab intestinis aut omento illabentibus, inguen in tumorem attolli, idque sæpe non sine summo patientis discrimine. Sed in eo nostra fuit difficultas, quòd Peritonæum, hac in parte, nullâ viâ sit pervium, tendinosæque musculorum abdominis partes cedere nesciant omento aut intestinis prementibus.

Autho-
rum in-
certa
opinio.

Primò quidem Authores quosdam Anatomicos & Chirurgicos consului, verùm tot inter eos inveni opiniones discrepantes, ut nihil certi ex illorum scriptis concludere licuerit. Eapropter manus operi applicavi, & in Subjecto, quod præmani-

manibus habebam , Canino , utriusque cornu fimbriam inguina versùs extensam , Peritonæi aliquot foramen subingredi , observavi. Nesciens quid rei esset, tubulo in foramen immisso aërem infudi , statimque vesiculam quandam à Peritonæo oriundam, obliquè per abdominis tendinosas musculorum partes, versùs pubem extensam detexi. Hocque postmodum toties in uno & altero observavi latere, quoties canes foeminæ cultro Anatomico nostro fuère examinatae. Naturalem horum Diverticulorum formam & magnitudinem dabit *Fig. xxxix.*

Diver-
ticula,
in Ca-
nibus
Foemi-
nis, No-
va.

Capsulis hisce in brutis jam detectis, summâ curâ laboravi, ut in eadem invenirem, neque etiam convenientissima defuit occasio diverticulum (eodem modo, ut in brutis à Peritonæo oriundum) in utroque latere detegendi. Distinctè enim observavi, ligamenta rotunda, ab uteri fundo ortum ducen-

Eadem
in Hu-
mano
Subje-
cto in-
venta.

tia, ad inguina ascendere, foramen quoddam subingredi, firmiterque lateri hujus foraminis, ut & totius Diverticuli annecti. Ex cujus præterea fundo pars prædicti ligamenti exiens, obliquè per tendines musculorum extenditur, & supra pubis ossa in fibrillas divisa, prope clytoridem evanescebat.

Diver-
ticulo-
rum va-
sa unde?

Et licet Diverticulum hocce continuam cum Peritonæo componat membranam, non tamen ab eodem sua sortitur vasa sanguinea; sed à prædicto ligamento, numerosissimis vasculis sanguineis donato, subtiliores prodeunt ramificationes, quaquaversum per dictum Diverticulum dispersæ; uti manifestè constabit, si quis tincturam coloratam in vas ligamenti sanguineum injecerit, statim Diverticuli membranam de eadem participare observabit.

Diver-
ticulo-
rum
Forma
qualis?

Capsularum harum Formas quod spectat; non ubivis æqualiter eadem extensas invenimus, sed earum-

rumdem orificia, quæ ligamenta ingrediuntur, arctiora esse, & cum calami scriptorii ostio ferè convenientia; capsulas verò ipsas paulò ampliores, & digiti minimi apicem non rarò admittentes, observavimus. Uti ex *Figur. XL.* manifestum.

Et hinc ratio peti potest, cur intestinum, semel in hocce Diverticulum illapsum, difficilè adeo iterum egrediatur, sed laqueo quasi constrictum, intestino inflammationem, gangrænam & patienti mortem inducat.

Aliquando tamen, temporis tractu, in quibusdam sensim & sensim adeo extenditur Diverticuli non tantùm orificium, sed & capsula ipsa, ut mulieres sine notabili incommodo herniâ inguinali laborantes, tumorem inguinalem premendo, intestinum prolapsum expellant ex diverticulo in abdominis cavitatem: sed brevi post, potissimum si vehementiori exercitio corpora sua solitò magis moveant, de

Diver-
ticulo-
rum ex-
tensio
nimia.

novo in eundem affectum incidant. Ex improvise tamen easdem malè aliquando affici observavi, præsertim plebejas, dum aëri frigido diutius sese exponentes, & laboribus gravioribus, idque sub dio, intente, intestinum persentiant dolorificum, ob sanguinem, aëris injuriis magis incrassatum, intestinumque inflammatum; quod amplius quidem requirebat diverticuli orificium, sed frigore jam magis constrictum, molestissima solet causari symptomata, imò mortem ipsam, ni citissimè manus chirurgica opem ferat.

Diverticulum cum intestini ilei parte aliquando connascitur.

Speciatim verò illud locum habet in iis, in quibus intestini prolapsi membrana exterior cum dicti orificii margine connascitur; tum enim intestinum, hac in parte, excrementis fortè repletum, si à motu nimio, aëre frigido, aliisve inflammetur, actum ferè semper erit de patientis vita; manuum namque opificio nihil præstabit Chirurgus.

rurgus, licet in arte versatissimus.

Kei hujus veritatem confirma-
tam dabit Historia notabilis. Mu-
lier quadragenaria, jam ab aliquot
annis herniâ laborans inguinali, di-
versisque temporibus magis minus-
ve affecta, tandem (nescio qua de
causa) gravius se affici, tumoremque
magis elevatum & dolorificum per-
sentit. Præscriptis fomentationi-
bus, Cataplasmatibus, aliisque ex-
ternis, quum non tantum nil levami-
nis sentiret, sed continuo majores
perciperet dolores, accedentibus fe-
bri continuâ, convulsionibus & vo-
mitu, quatrimum intra exspiravit.

Inspecturi cadaver unâ cum Cl.
Viro, Domino *Petro Cossion*, Pra-
ctico hujus Civitatis *Experientis-
simo*, periculum facere voluimus,
utrum intestinum prolapsum, hoc
in casu artificiosâ manuum operâ
posset restitui. Factâ itaque cutis
leviore incisione (lentè enim &
prudenter procedendi erat animus)
statim, quasi cum impetu, excre-

menta prorupere, vestimenta adstantium conspurcantia. Mirabamur *primò*, tenuitatem summam cutis, reliquorumque integumentorum; simul enim juncta, ipsâ cute naturaliter dispositâ, erant tenuiora & ab excrementis latitantibus maximo-pere tensa. *Secundò*; cur excrementa hæc adeò liquida, non potuerint repelli versùs reliqua abdominis intestina, & hoc modo patienti levamen adferre. Sed re propiùs examinatâ, notavimus diverticuli orificium constrinxisse, laqueo quasi, intestinum prolapsum, partemque hanc intestini inflammata, firmiter adeò, cùm dicto orificio fuisse connatam, ut sine dilaceratione ab eodem separare non potuerimus.

Cauti itaque sint similibus in casibus Chirurgi audaculi, ne reponere cupientes intestinum prolapsum, inviti videant vulnus inflictum excrementa evomere, non sine præsentaneo patientis periculo, & maxima Chirurgi infamia.

AN-

ANTONII NUCK,

D E

INVENTIS NOVIS,

EPISTOLA

ANATOMICA.

A D

D. D. B. G. Med. Doct.

*Anatomes & Philosophiæ Cultorem
Egregium.*

SI unquam verum , Se-
necæ illud effatum;
Multum quidem ege-
runt , qui ante nos fue-
runt , sed multum ad-
huc restat operis , restabitque mul-
tum. Nuspiam manifestum magis ,
quàm in Studio Anatomico; quàm
enim latè illud se extendat , nulli
re-

rectiùs notum, quàm qui operâ fedulâ manus applicat operi; singulatim verò Tibi, in Anatomicis adeò defudanti, ut nocturnâ pariter ac diurnâ Anatomem pertractare soleas manu. Vehementer interea doleo, unitis viribus Microcosmi contextum inspicere amplius licitum nobis non esse, & ut antè solebamus, inventa nostra, certissimo experimentorum eventu, confirmare. Absentiam vestram eò dolui magis, quòd tales inter vitam agere necesse habeas, qui non rarò in Nova Inventa acriter insurgere, aut eadem irrifui habere solent, nihilque recti qui putant, nisi quod ipsi faciant: sed æquo ferendum est animo, quod corrigi non potest: non, si malè nunc, & olim sic erit.

Expetis, quid ultimis hisce mensibus egerim, quæ Nova detexerim, & quibus potissimùm fuerim occupatus. Petitioni tuæ æquissimæ ut fiat satis, breviter enarrabo, quî Microcosmi Rivulos Aquosos, Lym-

Lymphaticos intelligo , labore & studio prosequar indefesso , quî Mercurius noster eadem aggredia-
tur, vix partem relinquat intactam,
& accuratè adeò ob oculos ponat,
ut Anatomici , etiam Recentiores,
parum aut nihil hac in re præstitisse
videantur.

Ut à *partibus Capitis externis*
incipiam ; varios aliquando notavi
canaliculos lymphaticos sub cute
genas exornantes, & rectà ponè au-
res in Glandulas Muscosas lym-
pham suam evomentes , ut inde in
lymphatica jugularia , & sic porrò
in subclaviam unam & alteram lym-
pham deponant.

Capitis Collique postica suis su-
perbire lymphaticis , Glandulæ
Novæ sub occipitis & cervicis cu-
te delitescentes (quasque propterea
Occipitales & *Cervicales* voco
Glandulas) distinctè demonstra-
bunt.

Pulmonalem Tunicam , stupendo
planè modo Lymphaticis obsessam
obser-

observavi; hæc verò, variis compositis infulis anastomosibusque, ductum respiciunt thoracicum, quemque etiam, glandulæ unius atque alterius interventu, ingrediuntur.

Neque suis destituuntur lymphaticis spatia *intercostalia*, metam tamen eandem, quam pulmonalia, non attingentibus, sed semper ferè, intermediis glandulis, lympham in jugulares venas deponentibus. Vascula hæc, occasione aliâ, *Lymphatica Thoracica* vocabo.

Præter hæc & alia in thorace occurrunt lymphatica, musculosa lumborum regioni incumbentia, saccum chyli ferum (in quem, secundum intermediâ iterum glandulâ, lympham evomunt) respicientia; & *Lymphaticorum Lumbalium* nomine venientia,

Diaphragmatis pars convexa plurimos emittit ductus lymphaticos, qui coeunt simplicem & aliquando duplicem in quovis latere componunt ramum ascendente
tem

tem, & sub sterni musculo triangulari extensi, Glandulas subingrediuntur ad suprema sterni locatas, ut inde in eandem venam jugularem, lympham suam exspuant.

Cordis superficiem externam jam dudum frequenti Lymphaticorum numero stipatam vidi; vasculaque minora, ex tunica Cor ambiente prodeuntia, ductus componere majusculos vidi: quorum alios sub auricula dextra, alios principium arteriæ magnæ lateraliter tangere, & in itinere, glandulâ unâ aut alterâ salutatâ, venas subingredi, aut subclavias, aut jugulares, aliquoties observavi. Hæcque Lymphatica non tantum in parte Cordis antica, sed & postica, quæ dorsum respicit, conspiciuntur; illam *Fig. xli.* delineatam vides, hanc verò aliâ occasione lubens tecum communicabo.

Lymphaticorum *Lienalium* numerus in subjectis humanis rarus admodum occurrit, &, singulari
licet

licet adhibitâ diligentîâ , nonnisi vasculum unum aut alterum invenire potui. In brutis verò nonnullis numerosissima occurrunt , speciatim in Liene vitulino aut bovino , in quibus aliquot centena inquirenti haud difficilè obveniunt: quæ tamen , compositis tribus quatuorve ductibus interjectâ glandulâ unâ aut alterâ , chyli vesiculam ingrediuntur.

Utraque *Hepatis* superficies, tam concava, quàm convexa, tot exornata conspicitur Ductibus Lymphaticis, ut visum penè fugiant, & in tali, quam servo, parte convexa ad minimum trecentos numerare possim. Qui partis convexæ sunt Lymphæ ductus , prope ligamentum suspensorium uniti, decem vel duodecim ramificationibus illud perreptant , lymphamque suam versùs chyli cystin amandant. Quæ verò partis convexæ sunt , eadem variis ductibus , ex hepatis interioribus prodeuntibus , venam exornant

nant portæ, unde in Glandulas terminantur Muscosas, ut illarum interventu facilius eandem chyli cystin subingrediantur.

Vesicam felleam itidem aliquot ramulis lymphaticis ornatam videmus, eandem viam (quam modo proposita ex concava hepatis) eligentibus. Hæcce iterum, intermediâ glandulâ exiguâ, ad latus colli vesicæ locatâ, cum præcedentibus anastomosibus junctis, eundem cursum sibi servant.

Non tamen eadem Lymphatica ex Cysti Fellea ipsa prodeunt, sed ex hepate. Cysti illa incumbere tantum vel ex eo manifestum: quod, compressis & ita evacuatis cysticis lymphaticis, postmodum lymphæ iterum non repleantur, nisi hepar ipsum prematur, ex quo statim lymphæ prodiens *Lymphatica Cystica* ingreditur, eademque turgidula reddit.

Ex *Ventriculi* parte superiori, jam aliquoties oriunda vidi Lym-
K pha-

phatica , lympham suam tribus quatuorve Glandulis minoribus (medio loco inter orificium superius & inferius locatis) tradentia, ut ex iisdem, aut in Ductum Thoracicum , aut in Saccum Chyliferum transferatur. Ventriculi fundum non minori glandularum numero obfitum vidi , quarum tamen rivulos aquosos hactenus nondum detegere potui, licet nullatenus dubitem , quin , ut modo proposita, lympham à fundi ventriculi partibus acceptam , in chyli capsulam exspuant.

Mesenterium etiam suos habet Lymphæ Ductus, eandem ferè fabricam, ac vasa lactea, componentes; hi à partibus intestinorum membranaceis oriundi , lympham primò in glandulas aliquot mesenterii , & mox in chyli receptaculum deponunt. Verùm aliquoties notavi, vasa mesenterii lactea, non tantùm chylo, sed & cum eo lymphæ transitum præbere, imò peractâ chy-

chylicatione , chyloque jam in sanguinem advecto , humori lymphatico tantum eadem patere ; namque præterquam , quod lympham aliquoties in lacteis viderimus , etiam conceptu difficile non erit , si succi pancreatici portionem majorem , nec non in intestinorum glandulis lympham secretam , alias vias , præter has , nuspiam invenire , per quas ductui thoracico , & ita sanguini , accedere posset.

Ex *Testium* tunica albuginea numerosi adeo prodeunt Lymphæ Ductus , ut numerum facile superent quadragenarium ; quorum plurimi , ubi testiculum relinquunt , in tres , quatuor aut quinque ramos , vasa spermatica concomitantes , abeunt , lympham suam in Chyli Saccum deponentes. Ab eadem insuper tunica prodeunt , qui vas componunt lymphaticum peculiare , vas deferens eo usque associans , donec prope ureterem , facto flexu , dictum vas deferens linquat , &

versus ureterem ascendendo , eundem non longè à renibus iterum deferens , lympham suam in saccum chyliferum etiam deponat.

Pedes , imò quilibet eorum digitus , sua obtinent Lymphatica , quæ , compositis duabus , tribus , quatuorve ramificationibus , variisque insulis , rectà sursum tendunt , vasa venosa , sub integumentis associantia. Hæc porro , salutatis in itinere glandulis aliquot muscosis , glandes subintrant Iliacas , ex quibus porro in chyli saccum , uti in Anatomie uteri monstravimus , cursum absolvunt.

Eodem ferè modo *Manus* sese habent , ex quarum digitis lymphatica prodeuntia , ramos componunt , variis insulis conspicuos , sub cute extensos , lymphamque , intermediâ tamen glandulâ , in venam subclaviam exspuentes.

Ita ut multiplici experientiâ , & variis partium præparationibus , eò usque pervenerim ; ut *integrum*
Lym-

Lymphaticorum Systema à capite ad calcem mihi composuerim, cujus delineationem libenter tecum communicabo, ubi partium nonnullarum hætenus nondum satis examinatarum, Lymphographiam absolverimus.

Sed rogare videris; *utrum in cerebro etiam Vasa occurrant Lymphatica?* Quamvis ex Recentioribus, nonnulli in eorum descriptione satis liberales, eadem concedant, & facile admittant; verum, quod passim observo, systemata in proprio cerebro formant, & viscera ex suo placito componunt: ad experimenta enim provocati, nil egregii præstare valent. Nunquam, hac in parte, ut ingenuè loquar, hætenus scopum attingere potui. Interim non negandum censeo, aliquando cerebri lymphatica in una aut altera parte fuisse visa; & non ita pridem, Anatomicus quidam mihi amicissimus, inter alia inventa, hæc nobiscum communicat. *Vidi*, inquit,

quit , *lymphaticum in cerebro bovino* , quod examine tuo (ut originem scias & insertionem) erit dignissimum. Non longè à glandula pineali , à qua ramos fortè habet , incumbit plexui choroidæo , ad infundibuli latera sese extendens. Ante biennium ductum lymphaticum ex Pini Glandula , eodem modo , ut in aliis glandulis , exeuntem vidi. Ita ut quidem certissimum , & cerebrum suos habere rivulos aquosos , sed nondum distinctè in lucem protractos.

Quod *Glandulam* spectat , *Pinealem* vulgò dictam , eadem non semper pyriformis mihi occurrit , aliquando enim oblongior est , non rarò ad ovalem , & sæpe ad sphaericam accedit figuram.

Eandem hanc Glandulam , dubio procul , putidam nobiscum vidisti , & penè consumptam , aliquando partibus lateralibus firmiter annexam , nervis exiguis aut adeo tenuibus donatam , ut visum plerumque

que fugiant. Nihil dicam de materia viscosa tenaci, glandulæ hujus superficiem non rarò tegente; nec non calculis, toties in eadem reperi-
tis, quibus Glandulæ mobilitas (si mobilis unquam) fuit sublata. Im-
memor esse non potes, quî semel eandem totam calculosam, & qua-
tuordecim, diversæ magnitudinis & formæ, calculis imò duriusculis, obsessam viderim, & multis curio-
sis demonstraverim, quemadmo-
dum & hodie adhuc, cuivis peten-
ti eosdem examinandos concedo. Interim, quod forsan mirabere, pa-
tientes ejusmodi, dum viverent, non minus ingeniosos observavi, ac alios, quorum Glandula natu-
raliter erat disposita. Et quid mi-
rum; Glandulam, hanc, ut reliquæ, eodem modo, malè interdum af-
fici?

Quod statuant nervosum genus Glandulam Pinealem respicere, fal-
sissimum illud esse, experimentis constat: imò plus cum eadem com-

mercii non habet , quàm cum Glandula Pituitaria.

Rogas denique , quid de spirituum promptuario , ut Communi Sensorio sentiam ? Illud quidem nullibi distinctiùs mihi , quàm in centro ovali , occurrit , ibi enim omnium ferè nervorum est concursus , quorumque sanguinis particulæ subtilissimæ , in corticali cerebri substantia separatæ amandantur ; ut inde continuò , per infinitos nervulorum fasciculos (qui numerosissimi in corporibus striatis occurrunt) nervos ipsos ingrediantur.

Hisce itaque positis , quid de Pini Glandula , quam multi Sensorium Commune volunt , sit sentiendum , acuto Tuo relinquo judicio : me quod spectat , jam dudum constanter affirmavi , Glandulam hanc præ reliquis prærogativam nullam habere , & summo propterea jure exequias ejus esse canendas , cum inscriptione quadam , pro Epitaphio inserviente ; hoc modo.

VIA-

VIATOR.

Gradum. Siste.

Omni que. Conatu. Conarium.

Respice. sepultum.

Partem. Tui. Corporis. Primam.

Ut. Olim. Volebant.

Anima. Primam.

GLANDULAM. PINEALEM.

Hoc. Seculo. Natam. Et. Extinctam.

Cujus. Majestatem. Splendoremque.

Fama. Firmarat.

Opinio. Conservarat.

Tamdiu. Vixit.

Donec. Divina. Particula. Aura.

Avolaverit. Tota.

Lymphaque. Limpida.

Locum. Suppleret.

Abi. Sine. Glande. Viator.

Lymphamque. Ut. Aliis. Conario. Concede.

Ne. tuam. Posteris.

Mirentur. Ignorantiam.

FIGURARUM EXPLICATIO.

Figur. I.

Tubulum Lactiferum exhibet
ex Cane.

- A. A. *Mammæ caninæ portio.*
b. b. b. *Varia corpuscula glandosa, ex
quibus*
c. c. c. c. *Tubulorum Lactiferorum ortus.*
D. D. *Truncus.*
E. E. *Papilla incisa, ut*
F. *Trunci terminus videri posset.*

Fig. II.

Mammæ Fœminæ partem
delineat.

- A. A. *Mammæ pars.*
B. B. *Cutis incisa.*
C. C. C. *Glandosa mammæ substantia.*
D. d. d. d. *Tubulorum Lactiferorum ca-
pillaria.*
E. E. E. *Tres eorum trunci.*
F. F. *Tubulorum inter se anastomoses.*
G. *Papilla variis foraminibus per-
tusa.*

Figurarum Explicatio.

Fig. III. IV. & V.

Papillas diversimodè perforatas
demonstrant.

- A. *Papilla sex foraminibus pervia.*
- B. *Alia novem ductibus perforata.*
- C. *Tertia septem poris pertusa.*

Fig. VI.

Papillæ fibrosam texturam
repræsentat.

- A. *Papillæ lamina resecta.*
- B. *Fibrosa ejus structura, quatenus oculo nudo inspicienti occurrit.*

Fig. I. fol. 15.




Fig. II. fol. 15.




Fig. III. f. 23.




Fig. IV. f. 23.





Fig. V. f. 23.






PLATE 1



Fig. VI. f. 24.



Fig. VII. f. 24.




Fig. VIII. f. 24.





Fig. IX. f. 32.



Figurarum Explicatio.

Fig. VII. & VIII.

Papillam microscopio examinam
tam notat.

- . Papillæ lamina duplici fibrarum genere instructa.
- . Fibræ majores minoribus hic destituta.
- . Fibræ minores majorum lateribus firmiter annexæ.
- . Altera papillæ lamina, partim fibris majoribus, partim minoribus, distinctè hic conspicua.

Fig. IX.

Vasa Lactea ex Subjecto Humano monstrat.

- . A. Intestini jejuni portio.
- . B. Ramus arteriæ mesentericæ superioris.
- . c. c. Vasa lactea nodulis suis conspicua.
- . V. Vasorum lacteorum insula.
- . G. Glandula mesenterii chylum ex dictis vasis recipiens.

Figurarum Explicatio.

Fig. X. XI. & XII.

Glandulas diversimodè figuratas
unà cum suis Vasis Lymphaticis
Inferentibus exprimunt.

- A. *Glandula oblonga cum simplici vase
inferente lymphatico.*
- B. *Alia, formæ ferè quadrangularis
cum tripilici vase adferente lym-
phatico.*
- C. *Tertia, superficiei inæqualis, sex se-
ptemve ductibus lymphaticis infe-
rentibus donata.*

Fig. XIII. & XIV.

Glandularum fibrosam texturam
proponunt.

- A. *Lamella glandulæ fibrosæ, oculo
nudo inspecta.*
- B. *Eadem particula microscopio exami-
nata.*

Fig. X. f. 35.



Fig. XI. f. 35.





Fig. XIII. f. 37.




Fig. XII. f. 35.



Fig. XIV. f. 37





Figurarum Explicatio.

Fig. xv. xvi. & xvii.

glandulas lapideas delineatas
offerunt.

*Glandula angulosa in lapideam sub-
stantiam conversa.*

*Alia, formæ incertæ, superficiem
tuberosam distinctè exprimens.*

*Tertia, itidem naturæ calculosæ &
tartareæ, minus tamen dura.*

Fig. xviii.

glandulæ arteriolas delineatas
exhibet.

Arteriæ Truncus.

*Ramificationes arteriolarum variæ
per glandulam dispersæ.*

Figurarum Explicatio.

Fig. XIX.

Membranulam vas lymphaticum
componentem ostendit, microscopio inspectam.

- A. A. *Vasis lymphatici membrana.*
b. b. b. *Globuli exigui hinc illinc per
membranam dispersi.*
c. c. c. *Fibræ sive striæ exiguæ vasculorum
formam imitantes.*

Fig. XX. & XXI.

Ductûs Thoracici tunicas, vitro
inspectas, oculis subjiciunt.

- A. *Exterior Ductûs Thoracici tunica,
globulis majoribus, racematim inter
se junctis.*
B. *Interior tunica similibus globulis,
sed minoribus conspicua.*

Fig. XV. f. 39.



Fig. XVI. f. 39.



Fig. XVII. f. 39.



Fig. XIX. f. 42.




Fig. XVIII. f. 40.




Fig. XX. f. 43.



Fig. XXI. f. 43.



Fig. XXII. f. 44.





Fig. XXIII. f. 44.





Figurarum Explicatio.

Fig. XXII. & XXIII.

Lymphaticorum valvulæ, oculo armato inspectæ repræsentantur.

- A. *Valvula semilunaris cum suis fibris & corpusculis orbicularibus.*
- B. *Altera, priori opposita, ejusdem naturæ & constitutionis.*

Fig. XXIV. & XXV.

Ductûs Thoracici valvulas exponunt microscopio visas.

- A. *Valvula Ductûs Thoracici, cum lymphaticorum valvulis conveniens, excepto, quòd corpuscula orbicularia non ita hîc appareant.*
- B. *Ejusdem Ductûs alia valvula, fibris variis, constrictioni dicatis, conspicua.*

Figurarum Explicatio.

Fig. XXVI. XXVII. & XXVIII.

Duûm generum lymphatica
demonstrant.

- A. *Glandula.*
- B. *Lymphatica adducentia.*
- C. *Lymphatica abducentia.*
- D. *Alia glandula.*
- E. *Vas ejus lymphaticum adducens.*
- F. *Surculi adducentes.*
- G. *Lymphaticum glandulæ incumbens.*
- H. *Surculi abducentes.*
- I. *Lymphaticum abducens.*
- K. *Tertia glandula.*
- L. *Lymphaticum adducens.*
- M. *Ramificationes variæ adducentes.*
- N. *Ramificationes variæ abducentes.*
- O. *Truncus easdem excipiens.*

Fig. XXIV. f. 45.



Fig. XXV. f. 45.



Fig. XXVI. f. 46.



Fig. XXVII. f. 48.






Fig. XXVIII. f. 48.



Fig. XXIX. f. 49.





Figurarum Explicatio.

Fig. xxix.

Trium generum lymphatica
exhibet.

- A. *Glandula.*
- B. *Lymphatica adducentia.*
- C. *Alia adducentia.*
- D. *Lymphatica abducentia.*

Fig. xxx.

Lymphaticorum in glandulas
infectionem variam ob oculos
ponit.

- A. A. *Glandulæ.*
- B. B. B. *Lymphatica minora inferentia.*
- C. C. *Lymphaticum simplex, sed majus, efferens.*



Figurarum Explicatio.


Fig. xxxi.

Lymphatica Renum, &c. repræ-
sentat ex subiecto canino.

- A. A. *Renes.*
B. *Vena cava.*
D. D. *Venæ iliacæ.*
E. E. *Saccus chyliferus.*
F. *Ductûs thoracici principium.*
G. G. *Glandulæ iliacæ.*
H. H. *Glandulæ cavæ.*
I. I. *Glandulæ mesocoli.*
K. *Lymphatica renalia superiora externa, dextri lateris, post venam emulgentem descendente, in lymphaticum cavæ L. inserta.*
L. L. L. L. *Lymphatica cavæ.*
M. *Lymphatica renalia inferiora externa, dextri lateris, in sulis donata, in glandulam cavæ H. & inde in lymphaticum cavæ L. implantata.*
N. N. *Lymphatica renalia interna, lympham in chyli saccum eructantia.*

O. O.





1850. 1. 1. 1. 1. 1.



Figurarum Explicatio.

- O. O. *Lymphatica renalia superiora externa sinistri lateris, lympham, intermediâ glandulâ P. in saccum chyli deponentia.*
- Q. Q. *Vasa lymphatica glandularum Mesocoli, quorum alterum in glandulam iliacam G. alterum in lymphaticum cavæ lympham suam propellit.*
- R. R. *Lymphatica peritonæi, venis musculis superioribus inhærentia, lympham suam in glandulas iliacas, & hinc, per lymphatica cavæ, in chyli cisternam ducentia.*
- S. S. *Alia peritonæi lymphatica in glandulas T. T. (quas sacras voco) inserta, quæ itidem ut jam citata, per lymphatica sacra lympham suam in glandulas iliacas, & sic porro ad chyli vesicam deferunt.*
- T. T. *Glandulæ sacræ.*
- V. V. *Lymphatica sacra.*

Figurarum Explicatio.


Fig. xxxii.


Uterum foemineum (sed facie inversâ) unâ cum lymphæ ductibus depingit.

- A. *Vena cava.*
- B. *Arteria magna.*
- C. C. *Venæ emulgentes.*
- D. D. *Arteriæ emulgentes.*
- E. E. *Venæ spermaticæ resectæ.*
- e. e. *Arteriæ spermaticæ resectæ.*
- F. F. *Renes.*
- G. G. *Vasa lymphatica renum externa & superiora, intermediis glandulis, in chyli cisternam H. tendentia.*
- I. *Ductûs thoracici principium hic resectum.*
- K. K. K. *Glandulæ exiguæ vasis lymphaticis renum transitum præbentes.*
- L. L. L. L. *Vasa lymphatica renum externa & inferiora, mediis glandulis K. K. in chyli cystin terminantia.*

m. m. m. m.

Fig. XXXII. f. 70. & 71.





Figurarum Explicatio.

m.m.m.m. *Utriusque lateris vasa lymphatica renum interna, interjectis glandulis, itidem lympham suam in chyli sacculum deponentia.*

N.N.N.N. *Ureteres.*

O.O. *Venæ iliacæ.*

p.p. *Arteriæ iliacæ.*

Q.Q.Q.Q. *Glandulæ iliacæ, lympham ab extremis pedibus excipientes, & per vasa lymphatica cavæ & aortæ adsita in chyli vesicam ducentia.*

R. *Lymphaticum cavæ.*

S. *Lymphaticum aortæ.*

T.T.T.T. *Vasa lymphatica spermatica, utriusque ovarii lympham vehentia in chyli sacculum.*

V.V. *Vasa spermatica sanguifera hic resecta, ut eò distinctius lymphatica conspectui se darent.*

w.w. *Ovaria variæ magnitudinis ovulis conspicua.*

x.x. *Ovula.*

y.y. *Ornamentum foliaceum.*

z.z. *Tubæ Fallopianæ.*

Figurarum Explicatio.

1. 1. *Uterus.*

2. *Fundi uterini portio resecta, utero
adhuc adhærens, ut uteri cavum
3. conspici posset.*

3. *Uteri cavitas.*

4. 4. *Ligamenta uteri rotunda.*

5. *Uteri osculum externum.*

6. 6. *Vagina incisa.*

7. *Vagina integra.*

8. 8. *Arteriæ hypogastricæ, uterum par-
tesque vicinas serptinis suis
vasculis egregiè exornantes.*

9. 9. *Vesica urinaria post vaginam hic
locata.*

10. 10. *Labia pudendi.*

11. *Clytoris.*

12. 12 *Nymphæ.*

13. *Meatus urinarius.*

14. *Membrana Hymen.*

15. *Vaginæ ostium.*





Fig. XXXIII. f. 75.



Figurarum Explicatio.

Fig. XXXIII.

Uteri Lymphatica examinans ex subiecto bovino.

- A. A. *Uterus.*
B. B. *Cornua ejus.*
c. c. *Tubæ.*
D. D. *Tubarum extrema.*
e. e. *Tubarum ostiola.*
f. f. f. f. *Earum expansio membranacea.*
g. g. g. g. *Ligamenta uteri lata, alæ ves-*
pertilionum vulgò dicta.
h. h. h. h. *Lymphatica uteri dextri ac si-*
nistri lateris, & quidem par-
tis posticæ. Qualia etiam, sed
minora in antica uteri parte
occurrunt, hîc non delineata.
i. i. i. i. *Lymphatica cervicis sæpius in*
suo itinere insulas formantia.
K. *Uteri cervix.*
L. *Vaginæ pars.*

Figurarum Explicatio.

Fig. XXXIV.

Renem humanum , cum vasis
adducentibus , & abducentibus , nec
non calculo , in pelvi hærente
monstrans.

- A. *Ren dextri lateris.*
- B. *Arteria emulgens dicta , sive , vas adducens primum.*
- C. *Nervus renalis , in ramos divisus , sive vas adducens alterum.*
- D. *Vena emulgens dicta , sive , vas abducens primum.*
- E.E. *Vasa lymphatica renis , sive , vas abducens secundum.*
- F. *Ureter , sive , vas abducens tertium.*
- G. *Pelvis dilatatus.*
- H. *Ureteris coarctatio prima.*
- I. *Calculus circa illam ureteris coarctationem hærens.*
- K. *Vasa sanguinea ureterem perreptantia.*

Figurarum Explicatio.

Fig. xxxv.

Ureteris partem aliam, calculis
minoribus obfessam, exhibens.

- A. *Ureteris portio, sinistri lateris.*
- B. *Ultima ureteris angustatio.*
- C. *Vesicæ particula.*
- D. *Ureteris terminus, obliquo ductu,
intra duplicaturam vesicæ conspi-
cuus.*
- E. *Variae magnitudinis calculi, circa
angustiam ultimam hærentes.*

Fig. xxxvi.

Bacillum offert, lapideâ incru-
statione obductum.

- A. *Bacillus.*
- B. *Ejus basis.*
- C. *Mucro.*
- D. D. *Calculi exigui, bacillum undique
tegentes.*

Figurarum Explicatio.

Fig. xxxvii.

Lapidem Bezoarticum proponit, in varias partes divisum.

- A. *Lapidis pars rotunda & illæsa.*
- B. *Particula ab eadem separata, sed, mediante bacillo, parti A. adhuc annexa.*
- C. C. *Bacillus, cui massa lapidea undique adhæret.*
- D. *Alia lapidis ejusdem particula separata, ut incrustationes, varios, hoc loco, circulos repræsentantes, appareant.*

Fig. xxxviii.

Lymphaticum ovarii monstrum & vesiculare delineans.

- A. *Uterus.*
- B. *Uteri osculum.*
- C. C. *Tubæ Fallopiæ.*
- D. D. *Ovaria.*
- E. E. *Lymphaticum monstruosum saciforme.*

Fig. XXXIV. f. 76.




Fig. XXVIII. f. 83.



E.

E.

Fig. XLI.
f. 143.




Fig. XXXV.
f. 76.



Fig. XXXIX. f. 143.



Fig. XXXVI. f. 79.




Fig. XL. f. 135.



Fig. XXXVII. f. 83.




PLATE XXIV



100

Figurarum Explicatio.

Fig. XXXIX.

Peritonæi diverticulum novum
ostendens ex cane foemina.

- A. A. *Peritonæi pars resecta.*
- B. B. *Diverticulum novum naturalis
magnitudinis.*
- C. *Ligamenti rotundi portio.*
- D. *Ejusdem ligamenti terminus.*

Fig. XL.

Diverticulum novum oculis
subjiciens, ex subiecto
humano.

- A. A. *Peritonæi particula.*
- B. *Ligamenti uteri rotundi pars.*
- c. c. c. c. *Vasa sanguinea ligamentum &
diverticulum perreptantia.*
- D. D. *Diverticulum.*
- E. *Ligamenti rotundi extremitas.*

Figurarum Explicatio.

Fig. xli.

Cordis vasa Lymphatica proponens.

- A. *Cordis latus dextrum.*
- B. *Latus sinistrum.*
- C. *Auricula dextra.*
- D. *Auricula sinistra.*
- E. *Vena cava.*
- F. *Arteria magna*
- g. g. g. g. *Origines vasorum lymphaticorum dextri lateris.*
- H. *Truncus horum vasculorum.*
- i. i. i. i. *Ortus vasculorum lymphaticorum sinistri lateris.*
- K. *Ejusdem lateris lymphaticorum truncus.*

INDEX

INDEX

RERUM

MEMORABILIU M.

G landula quid sint?	Pag. 1
Earum differentia.	2
Structura Glandularum Veteribus fuit inco- gnita.	2
Qui primi Glandulas examinare cœperint?	3
Glandularum totius corporis series.	4
Nova Glandularum divisio.	7
Glandula Conglomerata quid sint?	8
Experimenta Glandularum Conglobatarum structu- ram detegentia.	9
Mammarum mulierum constitutio.	10
Ductuum Galactiferorum Anatome.	12
Spirituum necessitas in lactis secretionem.	14
Lac secernitur à sanguine chylo gravido.	17
Ductus Thoracicus an cum mammis habeat commer- cium?	19
Sanguinis vitiosa constitutio malè afficit mammas.	21
Papillarum Anatome.	22
Earum substantia interior.	23
Unde flaccescant & erigantur Papille in Lactanti- bus?	25
	Papil-

INDEX RERUM

<i>Papillarum mala unde?</i>	26
<i>Membranarum, Glandulas Conglobatas ambientium, inspectio anatomica.</i>	27
<i>Membranarum varietas unde?</i>	ibid.
<i>Glandularum structura interna, ut nova, detegitur.</i>	30
<i>Glandularum mesenterii examen novum.</i>	32
<i>Glandularum Conglobatarum examen in brutis institutum.</i>	33
<i>Ex diversis corporis partibus Glandula examinata.</i>	ib.
<i>Aliud Glandulas examinandi experimentum.</i>	35
<i>Qualis Fibrosa sit Glandularum structura?</i>	37
<i>Texture Fibrosæ diversæ constitutio.</i>	ibid.
<i>Glandularum Conglobatarum morbi.</i>	38
<i>Lymphaticorum examen.</i>	40
<i>Ductus Thoracicus ope microscopii examinatus.</i>	42
<i>An Bilsi Muscus inter Lymphaticorum tunicas inveniat?</i>	43
<i>Quales sint Lymphaticorum Valvulae?</i>	ibid.
<i>Valvulae quid agant?</i>	44
<i>Vasa Lymphatica an Glandularum sint excretoria?</i>	45
<i>Lymphae transitus per Glandulas cur necessarius?</i>	46
<i>An unquam Lymphatica originem ex Glandulis habeant?</i>	48
<i>Glandularum utilitas singularis.</i>	49
<i>Vas Lymphaticum notabile ad hepatis concava.</i>	ibid.
<i>Lymphaticorum Origo.</i>	50
<i>Anatomicorum sententiae de Origine Vasorum Lymphaticorum.</i>	51
	Expe-

MEMORABILIMUM.

<i>Experimenta, quibus deteguntur Lymphaticorum origines.</i>	52
<i>Cur sanguinem non admittunt Lymphatica?</i>	53
<i>Lympha sanguinea unde?</i>	54
<i>Anatomicorum opiniones circa Glandulas Conglobatas an sint alicujus valoris?</i>	55
<i>Renum Lymphatica Nova.</i>	58
<i>Quis sit Lymphaticorum Ortus in Renibus?</i>	60
<i>Consensus inter vasa renalia singularis.</i>	61
<i>Ex gibbosa renum parte Lymphatica Nova.</i>	63
<i>Renum Hydatides unde?</i>	ibid.
<i>Ovula in ovariiis quâ nutriantur.</i>	65
<i>Animal ex ovo generari experimento comprobatur.</i>	68
<i>Lymphaticorum ovarii Descriptio Nova.</i>	70
<i>Lymphaticorum Insula necessaria.</i>	ibid.
<i>Arteria Iliaca & Cava Lymphatica.</i>	71
<i>Unde Lymphatica Iliaca ortum ducunt?</i>	72
<i>Quæ mala Ovarii Lymphaticis sæpe superveniant?</i>	ib.
<i>An Uterus ipse Lymphatica obtineat.</i>	74
<i>Ureterum constitutio & calculi in iisdem.</i>	76
<i>Quid calculum propellat?</i>	77
<i>Calculorum generatio in vesica.</i>	ibid.
<i>Experimento confirmatur calculorum generatio.</i>	78
<i>Historia rarior.</i>	80
<i>Altera Historia.</i>	82
<i>Lapidis Bezoartici generatio.</i>	83
<i>Lymphatici in ovario male affecti Historia.</i>	84
<i>Alia Historia.</i>	85
<i>Historia tertia.</i>	89

INDEX RERUM

<i>Historia quarta.</i>	94
<i>Methodus Lymphatica Vasa Peritonai inveniendi.</i>	98
<i>Quomodo malè afficiantur Lymphatica Peritonai?</i>	100
<i>Historia notabilis Hydropis Peritonai à laceris lymphaticis.</i>	104
<i>Alia Historia.</i>	106
<i>An Paracentesis hîc locum habeat?</i>	109
<i>Confirmatur Exemplo.</i>	110
<i>Aliud Exemplum.</i>	113
<i>Paracentesis feliciter instituta.</i>	117
<i>Alia Historia Paracentesis successum confirmans.</i>	122
<i>Peritonai Hydatides aliquando Asciten mentiuntur.</i>	124
<i>Historia, Hydatides mesenteriproponentes, varia.</i>	ibid.
<i>Lymphatica Sacra quanam sint?</i>	129
<i>Lymphatica Mesocoli.</i>	130
<i>Diverticula Peritonai Nova.</i>	131
<i>Hernia inguinalis Fœminarum unde?</i>	132
<i>Authorum, de Herniis, incerta opinio.</i>	ibid.
<i>Diverticula in canibus fœmineis nova.</i>	133
<i>Eadem in humano Subiecto inventa.</i>	ibid.
<i>Diverticulorum vasa unde?</i>	134
<i>Eorum extensio nimia.</i>	135
<i>Diverticulum cum intestini ilei parte aliquando con-</i> <i>nascitur.</i>	136
<i>Observatio notanda.</i>	137
<i>Epistola Anatomica.</i>	139
<i>Vasa Lymphatica partium capitis externarum.</i>	141
<i>Cervicis.</i>	ibid.
	<i>Vasa</i>

MEMORABILIUM.

<i>Vasa Lymphatica Pulmonum.</i>	141
<i>Intercostalia.</i>	142
<i>Lumbalia.</i>	ibid.
<i>Diaphragmatica.</i>	ibid.
<i>Cordis.</i>	143
<i>Lienalia.</i>	ibid.
<i>Hepatica.</i>	144
<i>Vesica fellea.</i>	145
<i>Ventriculi.</i>	146
<i>Mesenterii.</i>	ibid.
<i>Testium.</i>	147
<i>Pedum.</i>	148
<i>Manuum.</i>	ibid.
<i>Cerebri.</i>	149
<i>Glandula pinealis.</i>	150
<i>Glandula Pinealis Epitaphium.</i>	152

F I N I S.

LIBRARY OF THE

147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200

2 1 1 1 1

DISSERTATIO
ANATOMICO-MEDICA
DE
MOTU BILIS
CIRCULARI
EJUSQUE MORBIS.

Quam publicè olim habuit

MAURITIUS van REVERHORST,

MEDIC. CAND. Lugd. Batav.

*Nunc Professor Anatomicus
Hagæ-Comitis.*

SAGACISSIMO

Harum Thesium Patrono,

D. MAURITIO

VAN

REVERHORST.


EPINICIUM.

A bderitani ne poscite scripta Magistri,
Qui veram Bilis quaeritis historiam.
Haecenus obscuri pandit Mystera succi
Omnia Mauriti cura sagaxque labor.
Qui Bilem certâ ratione ac lege moveri
Jam negat, insulsum est & sine Bile caput.

Ponebat amico

D. LIEBERGEN.

DISSERTATIO
ANATOMICO-MEDICA,
DE
MOTU BILIS CIR-
CULARI.

§. I.  uum vita nostra Utili-
tas Cir-
culantis
Sanguis.
ut plurimum de-
pendeat, à sangui-
nis humorumque
Motu Circulari,
rite constituto; multum fane debe-
mus Viris Clarissimis, qui sangui-
nis Circuitum detexere primi, &
quamvis olim fortes vixisse certum
est, qui sanguinis Motus mentio-
nem fecere, verum obscure adeo
eundem proposuere, ut nihil certi
ex eorum scriptis colligi possit:
Magnus itaque Harvæus Anatomi-
corum Antesignanus, Circulantis
sanguinis vexillum prætulit, qui
labore improbo, & experimentis

variis , motum humorum clare adeo & distincte proposuit , ut hoc tempore rarius occurrant , qui non ambabus , ut dicunt , manibus , hanc opinionem amplectentur , vitæque nostræ summe utilem censeant.

Quæ-
nam
Circu-
lationes
ab eo
prove-
niunt.

§. 2. Et quid mirum ? ex hoc enim fonte , omnes fere Mutationes , Motus , Secretiones , Actiones Sensationesque proveniunt , ex eodem , aliorum humorum Motus Circulares principium ducunt , quales sunt ; *primò* Salivæ : *secundò* Liquoris Gastrici : *tertiò* Succu Pancreatici : *quartò* Bilis : *quintò* Lymphæ : *sextò* Spirituum : & *septimò* addi posset Seminis Motus Circularis.

Nos
Motum
Bilis
Circu-
larem
solum-
modo
propo-
nemus.

§. 3. Longius foret , horum omnium Circuitus proponere , veritatesque probare ; & licet hætenus plerisque , etiam subtilioribus Anatomicis , hoc fere fuerit neglectum , attamen pro humorum dictorum Circuitu probabiles adeo militant opiniones , ut de illorum Motibus vix dubitare possimus ;
suffe-

Suffecerit unum ex hisce, pro *Lemmate Inaugurali*, mihi eligere, & præprimis, propter singularem ejus utilitatem, quam Oeconomix Animalis præstat, *Bilis* scilicet *Motum Circularem*. Verùm ne *ἀπεθόδως* hic procedamus, perquam necessarium duximus, *Hepatis* pariter, atque *Bilis* Anatomen proponere, quibus rite perspectis, novisque experimentis confirmatis, verior inde resultet *Bilis Motus & in circulum actus*, quibus absolutis, ad varios Morbos Biliosos, eorumque Causas facilius erit transitus; tandem facta Prognosi, ipsa Curatio, certiori fundamento fundata, inde erit deducenda. Varia interim, ad nau- team usque, aliis, jam dudum proposita, studio præterire volumus, ne cramben, non tantum bis, sed decies, imo pluries recoctam, Lectori Benevolo, apponere videamur.

§. 4. Hæc autem, ut ordine fiant, Quid de Hepate dicetur.
 primo *Hepatis* notabimus *Situm*; dein-
 a 3

deinde *Figuram* ; mox *Superficiem* ,
Colorem , *Connexionem* cum aliis
partibus , *Membranam* investien-
tem , *Vasa* ejus , tam *Inferentia* ,
 quam *Efferentia* , nec non *Ductus*
peculiares excretorios ; porrò *Sub-*
stantiam ; tandem *Vesicæ Felleæ* A-
 natome quoque erit proponenda ;
 nec non *modus secretionis Bilis* ,
 æque ac *Lymphæ* , postremo horum
 omnium *Usus*.

Hepatis
 Situs.

§. 5. *Situm* est *Hepar* , sive *Fecur*
 in hypochondrio dextro , ex adver-
 so lienis , sub diaphragmate , inter
 costas , & ventriculum , nunc ela-
 tiore , nunc depressiore fede , ver-
 tebris partim dorsalibus , partim
 lumbaribus & costis spuris inni-
 tens ; ita ut externè , tactu (præci-
 puè in statu morbofo) facile de-
 prehendi queat ; quo in casu non
 rarò observatum , dextri lateris Re-
 nem , situm obtinuisse , sinistro magis
 declivem , idque ab Hepatis mole
 solito majore , Renemque hunc
 magis minusve premente ; verùm
 illud.

illud perpetuæ veritatis non esse,
multiplici experientiâ didicimus.

§. 6. Raræ admodum, & infre-
quentes sunt Anatomicorum ob-
servationes, de hujus *situ mutato*;
ita ut Lien in dextro, Hepar verò
in sinistro locetur hypochondrio:
Nos sæpius vidimus partem ventri-
culi dextram non tantum, sed to-
tam ejus superficiem, tegi ab hujus
parte concavâ; sed, quod magis
mirum, illam eandem Hepatis par-
tem, in sinistro hypochondrio fir-
miter lieni adhæsisse, uti nuper, non
sine admiratione, in quodam sub-
jecto, videre licuit.

§. 7. *Hepatis Figuram* si confi-
deremus, eam duplicem cum Ana-
tomicis notabimus; alteram *Con-*
vexam, *Concavam* alteram: *Con-*
vexa ea est, quæ costas spurias, &
diaphragmatis partem concavam;
Concava verò, quæ ventriculum
respicit.

§. 8. *Superficiem* quod attinet, *Ejus su-*
illa lævis est, glabra, & æqualis *perfacies.*
a 4 (lo-

(loquimur de *convexâ*) in statu verò morboſo , ubi acini Hepatici ſunt obſtructi , eſt inæqualis , aſpera , & innumeris capitulis tuberoſa , non tantum in parte hac convexa , ſed etiam concavâ ; uti aliquoties in corporibus Cachecticis & Hydropicis (potiffimum in Aſcite) obſervavimus ; *interna* vero *ſuperficies* , quæ , præterquam quod ſit concava , inæqualitate notabili , & prominente parte , foveâ ſingulari conſpicitur ; protuberantiam componit , qui dicitur Hepatis Lobus minimus , foveam verò , ubi Cyſtis Fellea , Hepati jungitur.

Hepatis
Color.

§. 9. *Color* alicujus partis , cum plerumque talis ſit , quales humores in ipſa exiſtentes ; non mirum , *Hepatis Colorem* eſſe ex pallido rubicundum ; pallorem uti à Bile , ita ruborem facilè ab ipſo ſanguine deducimus. In Fœtu verò eſt obſcurioris coloris , ob particulas aëreas ſanguini Fœtus minori copiâ permixtas.

§. 10.

§. 10. Connexio hujus visceris, ^{Conne-}
 cum partibus vicinis, ^{xio cum} præprimis ^{vicinis}
 notanda; & primò quidem Hepar ^{partibus,}
 suspensum tenetur, à ligamento
 satis valido, lato, & membranoso,
 à peritonæo orto, cujus ope cohæ-
 ret cum parte diaphragmatis mus-
 culosa, & cartilagine mucronatâ;
 & hocce Ligamentum, ab officio,
 quo fungitur, Anatomici vocarunt,
Ligamentum Hepatis suspensorium
Latum; quia latè sese expandit;
 & ut tanti visceris moles melius
 suo maneret loco, hocce Ligamen-
 tum descendit, versus Hepatis par-
 tem inferiorem, ibidemque porta-
 rum venam (quo loco umbilicalis
 vena ipsi adjacet) involvit, & va-
 ginulâ quasi includit; sed ne quis
 credat, hunc Hepatis cum diaphra-
 gmate nexum, respirationi obesse,
 ipsam potius juvare putamus, qua-
 tenus diaphragma ab Hepatis mole
 deorsum trahatur, adeoque inspi-
 rationem haud parum promoveat,
 & hic ejus *nexus* est à parte supe-
 a 5 riore,

riore , ab inferiore autem parte *an-*
nectitur Hepar umbilico , mediante
 Venâ Umbilicali (de qua infra fu-
 sius) quæ in jam natis Ligamentum
 evadit , Hepatisque ascensum su-
 periora versus impedit , ne liber
 diaphragmatis motus impediatur :
 Præterea Hepatis vasa etiam si
 ipsum (non ut reliqua Ligamenta)
 suspensum teneant ; multum tamen
 ad ejus , cum adjacentibus partibus ,
 Connexionem conferunt. Hæc au-
 tem Ligamenta , adeo rigida , &
 firma non sunt ; quin Hepar , pro
 vario corporis motu , modò dex-
 trorsum , modo sinistrorsum , modò
 sursum , modò deorsum , libere satis
 moveri queat.

Mem-
 brana
 inve-
 stiens.

§. 11. Hepar *tenui & pellucidâ*
 investitur *membranâ* , oriunda , par-
 tim à vasis ipsum perreptantibus ,
 suisque extremitatibus , usque in
 superficiem pergentibus , ibidemque
 cum fibris membranosis , à perito-
 næo oriundis , hanc membranam
 componentibus.

§. 12.

§. 12. Tandem Hepatis *vasa* exam-
 inanda veniunt, quorum numerus
 tantus est, quantus in nullâ totius
 machinæ parte occurrat; quæque
 proinde dividimus in *Adducentia*,
 & *Abducentia*: adducunt Arteria,
 Nervi, & Vena porta; quibus in
 Fœtu addenda vena, Umbilicalis
 dicta: abducunt Cavæ ramificatio-
 nes per Hepar dispersæ, Vasa Lm-
 phatica, & Pori Bilarii.

Vasa
 sunt vel
 addu-
 centia,
 vel ab-
 ducentia.

§. 13. *Arteriam* obtinet Hepar
 à coeliacâ, à qua cum variæ oriantur
 ramificationes, ad partes circum-
 jacentes tendentes, sic à dextro
 ipsius latere, oritur ille ramus, quem
 Anatomicorum Filii *Arteriam* He-
 paticam appellare solent; quæ cum
 propius ad Hepar accedit, in duas
 abit ramificationes, quarum altera
 tendit ad Cystin Felleam, altera
 Substantiam Hepatis ingreditur,
 ibidemque sociâ ubivis venâ Portâ,
 porisque bilariis, singulos aggredi-
 tur glandularum acinos, quibus
 suos tribuit ramulos Arteriosos.

Primum
 vas ad-
 ducens
 est Ar-
 teria.

§. 14.

Secun-
dum
sunt
Nervi.

§. 14. *Nervos* accipit Hepar copiosos à Nervo Vago, seu Pari octavo, qui in innumeros abeunt furculos, ad singulas glandulas tendentes, per quos spiritus, partim pro Bilis, partim pro Lymphæ secretionem in illas partes feruntur; Sed an præcise, quemadmodum nonnulli Anatomici volunt, sint quatuor distincti furculi, duo à pari vago, seu octavo, tertius à Stomachico, quartus à costali, illud non facile determinare est; præcipue cum hi Nervi cæteris vasis, membranis, reliquisque aliis involucribus, adeo sint intricati, ut peritior illos nequeat offendere, sed manus Anatomica artificiosa illos facile in varios & distinctos nervos dividere possit.

Ter-
tium
Vena
Porta.

§. 15. Inter adducentia Hepatis vasa, hoc loco examinanda occurrit, *Vena Porta*, à variis infimi ventris partibus oriunda; uti sunt Ventriculus, Lien, Pancreas, Omentum, Intestina, præcipue Tenuia (propter
usum

usum singularem, inferius proponendum) ex quibus omnibus partibus, tanquam totidem *Radicibus*, sanguinem suum accipit; illâ vero in parte, in quâ omnes hæ *Radices* coeunt, constituitur *Truncus*; & hucusque *Vena* vocari potest; sed hoc loco *arteriæ officio fungitur*; Fungitur officio Arteriarum propter rationes jam proponendas: nam uti primò arteriarum in modum constat tunicis crassioribus; sic etiam sensim fit angustior, & ut aliquid ab ipsius sanguine separatur, sic etiam sanguis ejus, ab alio vase scilicet *Venâ cavâ*, excipitur.

Sed, an etiam, *Arteriarum* in Non pulsant tamen modum *pulset*, uti nonnulli *Anatomici*, etiam non infimi *subsellii*, statuunt, nos unico hocce experimento freti, nequaquam agnoscimus; quod ligatâ arteriâ *Hepaticâ*, ille pulsus non observetur, uti sæpe experti sumus.

Hæc autem Vena, in eo non convenit cum arteriis, quod sanguinem vehat obscuriore colore tinctum. Porro,

Porro , quamprimum hæc Vena Hepatis substantiam ingreditur , in infinitas abit ramificationes , ad totidem Hepatis glandulosos acinos tendentes , ibidemque particulas suas biliosas (ab intestinis , haud absimili modò , quemadmodum vasa lactea , suas particulas chymosas , ut infra de *Motu Bilis* , receptas) deponunt,

Ulti-
mum ad-
ducens
Vena
Umbili-
calis.

§. 16. *Adducentibus* tandem jungitur *Vena Umbilicalis* , originem suam , non ex Hepate , ut Veteres voluere , sed ex Placentâ ducens Uterinâ , in qua , pro foetus nutritione , liquorem accipit , sanguine mixtum , per umbilicum in Hepar , & mediante canali venoso , in venam cavam deferendum ; Foetu verò jam in lucem edito , Vasisque Umbilicalibus , ligatura injecta ; ita ut per ea jam nihil deferatur , hæc Vena usum suum amittit ; & quemadmodum supra ostendimus , Ligamenti naturam induit.

Quando
usum
suum
amittat.

Ejus
sanguis

§. 17. *Vena hæc Umbilicalis* hoc obti-

obtinet peculiare , quod sanguinem est rubicundioris Coloris, vehat , arterioso similem , hoc est , colore donatum , intensè rubicundo ; quod nusquam (præterquam in Vena pulmonali) in reliquo Venoso genere conspicitur ; & aliunde deducendum non erit , quam à particulis aëreis , sanguini huic copiosius admixtis.

§. 18. Hucusque vasis propositis Primum vas abducens est Vena. Adducentibus , *Abducentia* jam examinanda restant ; quorum primæ erunt *Venæ* , harum majores potissimum ramificationes , in Hepatis parte concava conspiciuntur , originem ducentes ex acinis Hepatis glandulosi , reliquisque partibus , in quibus sanguinem , à secretionem residuum suscipiunt , & in Venam Cavam ascendentem deferunt.

§. 19. Hisce Abducentibus vasis , Huic succedunt Lymphatica succedunt alia ; scilicet *Lymphatica* nuper detecta , quæque ob singularem , quam præstant Oeconomix Animalis , utilitatem , hoc loco sunt describenda ; Illa autem duplicia occurrunt ,

Suntque
vel In-
terna vel
Externa. currunt; alia enim sunt *interna*, alia
vero *externa*: *Interna*, jam à nonnul-
lis Anatomicis, sed malè descripta,
prodeunt ex modò propositis aci-
nis glandulosis, & principiis adeo
subtilibus, ut visum plerumque fu-
giant; sed magis in sensus incur-
runt, ubi eadem Hepatis tunicam
perreptantia, & innumeris inter se
anastomosibus juncta, descendunt
ductibus manifestioribus, ubivis
(propter valvulas intus conspi-
cuas) nodosis, in glandulam musco-
sam unam aut alteram, Portæ ad-
sitam, ut inde, vel immediatè, vel
interpositâ simili glandulâ, Lym-
pham suam in saccum chyliiferum
deponant.

Glandularum autem jam propo-
sitarum numerus occurrit incertus:
nam quo majores, eò pauciores, &
si minores fuerint, non duæ aut tres,
sed quinque, sex, imò septem, &
plures aliquando conspiciuntur.

Lym-
phatica
Externa. *Lymphatica externa*, sive partem
Hepatis sinistram occupantia, itidem
pro-

prodeunt ex acinis glandulosis illius partis , & numerosa adeo conspiciuntur , ut , vel maxime Lynceus , ni oculus vitro sit armatus , omnia ritè examinare non possit.

Omnia autem hæcce vasa , antequam Hepar deferant , sex , septem , vel octo , aliquando plures componunt Ductus majores , utrimque per latera suspensorii lati adscendentes , suamque Lympham in cavam eructantes. Hepatis Vasorum Lymphaticorum , tam Internorum quam Externorum &c. delineationes vide *Tabul. 1. Figur. 1. & 2.*

§. 20. Vasa hæc Lymphatica tam Interna , quàm , Externa , longe aliam , & à reliquis Lymphaticis diversam vehunt Lympham , utpote particulis Biliosis magis volatilibus gravidam , ideoque merito Lympham Biliosam dicendam ; haud absimili modò , quemadmodum in intestinis particulæ Bilis subtiliores in *venas* propelluntur *meseraicas* ; crassioribus interim una cum fæcibus

Diver-
sitas
Lym-
phæ.

b
bus

bus extra corpus emissis (utì infra, quando de *Motu Bilis Circulari*, clarius patebit) contingit in Hepate, ubi particulæ Bilis crassiores in Poros Bilarios, subtiliores vero, & magis mobiles in Vasa Lymphatica propelluntur, uti, ex peculiari eorum colore, manifestum satis est.

Proba-
batur
esse fla-
vam,

§. 21. Lympham hanc colore flavo esse donatam, frequenter etiam in Hydrope Ascite (à læsis Lymphaticis Hepaticis ortâ) laborantibus constat, quorum aqua, Paracenthesi extracta, talem refert colorem; particulasque in se includere Biliosas, sapor indicat; hæcque illa aqua est, quam Nostrates vocant, *het geele water*.

Ultima
abdu-
centia
sunt
pori Bi-
larii.

§. 22. Tandem Abducentium vasorum agmen claudunt *Pori Bilarii*, tanquam totidem radices, constituentes truncum, seu vas excretorium, Hepati proprium, Ductum, nimirum Hepaticum, per quem Bilis, ab omnibus Poris Biliaris, in Hepatis glandulosis acinis secre-

secreta , fertur in Ductum Cholidochum , seu Communem (quia utrique Ductui , & Hepatico , & Cystico , communis est) & ab hoc , in intestinum duodenum.

§. 23. Porro circa Poros hosce ^{Pororum Cursus,} Bilarios , notandum venit , illos ubivis , & Venis Portarum , & Arteriæ Hepaticæ , focios esse , idque non tantum in principio , ubi Capsulâ Glissonii includuntur ; sed & , ubi minores , imo minimæ , dictorum Pororum , occurrunt ramificationes.

Bilis autem , quæ per dictos Poros ^{Differentia Bilis.} deferitur , quo ad colorem flavamagis , & mobilis est ; quam illa , quæ ex Cysti prodit Felleâ , uti infra , quando de ejus structurâ , pluribus ostendetur.

§. 24. *Hepatis Substantiam* quod ^{Substantia Hepatis.} spectat , ea in cocto , quam crudo , melius vero in Porcino , quam Humano distinguitur ; variis constat Lobulis exiguis , qui iterum ex minoribus Glandulosis Acinibus , propriâ

priâ membranâ involutis, & illius fibris sibi invicem annexis, conflantur; hi autem acini glandulosi, sed melius Glandulæ Vasculosæ, sunt congeries minimorum vasculorum supra recensitorum.

Anato-
me Ve-
sicæ Fel-
leæ.

Situs.

Maculæ
flavæ.

§. 25. *Vesica Biliaria*, seu *Cystis Fellea*, hoc loco non omittenda; sed varia, & notatu dignissima, illam spectantia, proponenda erant. Hujus *situs* est in concavâ Hepatis parte, cui adhæret parte mediâ, reliqua vero parte ab ejus corpore pendens, quâ non rarò tangit intestinum Colon, aliquando Ventriculi latus dextrum, aliquando aliam intestinalis tubi partem, quam frequenter *Flavo Colore tingit*, particulis Biliosis magis volatilibus per ipsius poros transudantibus, hisce in partibus hærentibus, & Colorem talem Flavum producentibus: Imo adeo volatiles Bilis aliquando includit particulas, ut præter partes dictas, etiam Peritonæum, Musculos Abdominis, ejusque integumenta

menta penetrent, & in externa Hypochondrii dextri regione Cutim notabili flavedine tingant; uti illud nuper in Amphitheatro vidimus.

§. 26. *Figura Vesiculæ Oblonga*, Figura,
Subrotunda, & *Pyriformis* est;
membrana vero illius, ex Tribus Textura Mem-
branz.
Tunicis conflata est, quarum prima, sive exterior ipsi cum Hepate communis est; altera sive media constat fibris ordine irregulari semet intercussantibus; tertia seu intima est glandosa, mucagine, & multis villis obsessa, impediens, ne particulæ Bilis acriores tunicam fibrosam lædant, & vellicando Bilis exclusionem citò nimis promoveant.

§. 27. Dividitur porro hæc *Cystis* in *Fundum*, & *Cervicem*, Divisio in Fundum & Cervicem. quorum illa pars, quæ *Rotunda*, *Pyriformis* & *Ampla* est, vocatur *Fundus*; *Cervix* vero in parte elatiore locata, *Angustior* est, & magis stricta, *valvulam* olim a Bauhino

b 3

Valvu-
la in
Cervi-
ce.

Eius
Ufus

Collum
non re-
ctili-
neum.

hino notatam , aliquando simpli-
cem , aliquando duplicem aut tri-
plicem , figuræ plerumque semilu-
naris , & non rarò cochleæ in mo-
dum extensam habens , præpedien-
tem , quo minus Bilis ex ductu He-
patico hanc vesiculam subintret ;
præterea ne Bilis illa , semel ex hac
elapsa , revertatur ; sed ulterius per
ductum Cholidochum , seu Com-
munem fluat in intestinum duode-
num : Porro inservit hæc *valvula* ,
ut Bilis , jam in Vesicula Fellea col-
lecta , non continuò , & per viam
fatis patulam egrediatur , sed eo
potissimum tempore , quo ventri-
culus , chylicationis tempore , ci-
bis gravidus , & distentus Vesicu-
lam hanc premendo , Bilis , excre-
tionem , chyli elaborationi adeo ne-
cessariam , magis promoveat : efflu-
xum hujus Bilis nimis citum ex Cy-
sti Felleæ præter valvulas , ipsum
Collum impedit , quod *non rectili-
neum* , quemadmodum passim , ast
male ab Anatomicis describitur ,
sed

sed Curvum in omnibus fere subje-
ctis occurrit; uti *Tabul. II. Figur. 4.*
monstrabit.

§. 28. *Arteriam* habet , Anato-^{Arteria}
micis *Cysticam* dictam , ab arteriâ ^{Cystica,}
coeliacâ oriundam , variis ramifica-
tionibus hanc Vesiculam egregiè
exornantibus. *Nervos* obtinet *cum* ^{Nervi}
Hepate communes , & ab eodem ^{Com-}
principio oriundos. Eadem *rami-*
ficationes quam plurimas habet à
Venâ Portâ , quæ unâ cum modo ^{Venæ}
dictâ arteriâ , sanguinem suum tra-^{à Vena}
dit ramificationibus *Venæ Cavæ*. ^{Porta.}

§. 29. *Cystis* hæc suis etiam gau-^{Lym-}
det *Vasis Lymphaticis* , ex concavâ ^{phatica}
Hepatis parte oriundis , & *Vesicu-* ^{Cystica,}
llam hanc perreptantibus , ex qua
in *Glandulam* quandam exiguam,
ad collum ejus locatam , ac proinde
Cysticam dicendam , ingrediuntur,
& anastomosibus cum *Hepaticis*
Lymphaticis juncta , eundem cur-
sum postea servant ; vocantur au-
tem hæc *Lymphatica Cystica* , non
quod ab ipsâ originem ducant, sed

huic tantum incumbant; uti sequenti patet experimento, presso scilicet Hepate, statim Lymphâ turgebunt, etiamsi horum vasorum nullum vestigium ante apparuerit; hocque experimentum, Lymphâ expressâ, aliquoties iterari potest. Glandulæ Cysticæ, Vasorumque Lymphaticorum Delineationem, vide *Figur. citat. 4.*

Peculiar-
ia vasa
Bilifera.

§. 30. Præter hæc vasa Arteriosa, Venosa, Nervosa & Lymphatica, *peculiaria* occurrunt vasa *Bilifera*, ex simâ Hepatis parte oriunda, quæ, bilem suam duplici, triplicive Ductu excretorio in hanc Vesiculam, membranam ejus, potissimum circa collum, perforantia, deponunt: major horum Ductuum, in interna Vesicæ parte, papillula quadam conspicuus est; simili fermè modò, quemadmodum ductus communis, in intestino apparet duodeno; quippe valvulæ officio funguntur hæ protuberantiæ, ne semel eructata Bilis eandem repetat viam, per

per quam erat egressa ; hæc autem vasa *Cystica Bilaria* distinctius occurrunt in brutis , potissimum in sub-
jecto Bovino , quàm quidem Hu-
mano.

§. 31. Nihil dicam de *Ductibus* *Cysto-hepaticis* , illis nimirum , qui *Ductus* componunt intermedios , inter Poros Bilarios , & Vasa hæc *Cystica Bilaria* , quandoquidem hæc vasa , non in quovis subjecto appareant , sæpius planè deficient , & in Humano Subjecto hætenus detecta non sint.

Quid
de Du-
ctibus
Cysto-
Hepati-
cis.

§. 32. *Dari* tamen aliquando , sed in *Brutis* , tales *Ductus Cysto-hepaticos* , sequenti constat experimento , in Hepate Vitulino instituendo. Primò ligatura injiciatur *Ductui Cystico* , dein *Vesicæ Fundo* inciso , ut *Ductuum* horum ostia distinctius in conspectum prodeant , per tubulum *Ductui Communi* alligatum ope syphonis , lac tepidum aut tinctura aliqua colorata injiciatur , quo non tantum pori *Bilarii*

Expe-
rimento
proban-
tur dari
in Bru-
tis.

lacte turgebunt ; sed portio aliqua per *Ductus hosce Cystohepaticos*, jucundo sane spectaculo , in Vesiculam Bilariam , jam ante vulnere læsam , stillabit ; uti oculari inspectione manifestum redditur.

Lymphæ
Bilisque
Secretio.

§. 33. *Lymphæ Bilisque Secretionem* in Hepate quod spectat, eam hoc modo fieri concipimus : sanguis per arteriam Hepaticam , & venam Portam Jecinori advectus , uti variis , & infinitis , sic etiam particulis Biliosis , & Lymphaticis gravidus , acinos Hepatis glandulosos subintrat , in quibus trium generum occurrunt pori , constituentes *primò* , Venarum in Cavam tendentium principia ; *secundò* Bilioforum Poros Bilarios , nec non ductus Biliferos Vesicæ Felleæ formantium ; *tertio* Lymphaticorum , Lympham transmittentium , pro varietate itaque horum pororum , & particularum diversitate dictos humores constituentium , necessarium Lympham Lymphatica , Bilem

ilem Bilaria, sanguinem vero à secretione residuum ramificationes Venæ Cavæ subire; cui negotio multum conferunt sanguinis motus tam intestinus, quam progressivus, partium circumjacentium, potissimum muscutorum abdominis, continua pressio, & spirituosus sanguis arteriæ Hepaticæ; nec non animales spiritus continuò ad has partes fluentes.

§. 34. Bilis secretionem breviter propositâ, ejus natura porrò investiganda restat: Estque *illa duplex*, *altera Hepatica, Cystica altera*; *Hepatica* illa est, quæ continuò, & sine morâ affluit in duodenum intestinum, estque tenuior flava magis, & mobilis, nec adeo amaricat; *Cystica* verò crassior est, obscurioris coloris, saporem præ se ferens magis amaricantem, & non nisi certis temporibus in intestinum affluens, scilicet quando folliculus modicè à Bile distentus, fibræ ejus motrices vellicatæ contrahantur,

Duplex
Bilis,
Cystica
& Hepatica.

tur , & hoc modo materia intus contenta excludatur ; vel tempore chylicationis , quando ventriculo cibo potuve distento , Cystis hæc ab ejus mole premitur ; & per consequens contenta Bilis exprimitur.

Essentia
Bilis.

§. 35. Quod *Bilis* spectat *essentiam* , analysi constat Chymica, ipsam in se includere Phlegma copiosum , Salis Volatilis multum , & particulas Oleosas cum Salibus Fixis , partibusque terrestrioribus unitas. Cùm itaque jam patet , ejusmodi particulas Oeconomix Animalis perquam utiles , Bilem in se includere Chyli Distributioni inservire , Motum Intestinorum augere , & Excrementorum promoveri Exclusionem ; necessario hic concludendum venit , Succum hunc nullatenus excrementitium esse ; sed magnâ sui parte sanguini iterum admisceri , per motum quendam , quem vocamus *Motum Bilis Circularem* , qui autem hic fiat Circuitus , ex sequentibus manifestò constabit.

§. 36.

§. 36. Bilis in intestinum duode-
 num delata, succo pancreatico mix-
 ta, redditur fluidior atque tenuior,
 quo intestina magis irritare, chyli-
 ficationem promovere, & poros Va-
 forum Venosorum subire possit, in
 itinere suo per intestina in duas abit
 partes, Terrestriores scilicet, at-
 que Volatiliores; Terrestriores
 fæcibus permixtæ, quibus colorem
 flavum inducunt, unà cum iis ab
 alvo deponuntur; Volatiliores vero
 & magis mobiles poros subeunt Ve-
 narum Meseraicarum, & cum san-
 guine venoso associatæ pergunt in
 Portam, ex hac in Hepar, in cujus
 Glandulis particularum harum Bi-
 liosarum fit sequestratio, eodem, quo
 antea dictum fuit, modo; ex glan-
 dulis verò in Poros Bilarios; ab his
 per Ductum Cholidochum in Inte-
 stina, in quibus de novo eodem,
 ut ante, funguntur officio, & par-
 ticulis Terrestrioribus relictis, ite-
 rum Mesenterii Venas subintrant,
 ex quibus denuò in Hepar, ex He-
 pate

Quo-
 modo
 fit Cir-
 culatio
 Bilis.

pate in Intestinum, & sic porrò moventur, atque in eo *Motum Bilis Circularem* consistere certò asserimus.

Proba-
tur 1. ab
Ampli-
tudine
Venarum
Mese-
raica-
rum.

§. 37. Sed ne hypotheses novas, nullo fundamento innixas, hic proponere videamur; probandum erat, Bilem hunc in modum moveri. *Primum* itaque argumentum sumemus ab *amplitudine Venarum Meseraicarum*, quæ cæteris paribus hic duplò triplove conspiciuntur ampliores, quam in plerisque aliis corporis nostri partibus; quocirca merito concludere licet, hæc vasa, præter sanguinem arteriosum, ab intestinis refluxum, alias insuper excipere particulas, quas Biliosas statuimus, ob rationes, in sequentibus proponendas. Si quis interea illum in se suscipere laborem velit, ut sanguinem ex *Portæ Venâ*, atque aliis vasis venosis extractum examinare cupit, Lymphamque hujus atque illius gustare, differentiam observaturus est, quæ hanc nostram
opi-

opinionem confirmabit.

§. 38. *Alterum*, quod nostram sententiam adstruit, est *peculiaris* ^{2. A} *harum venarum Cursus*, & à reli- ^{Vena- rum cur- su pecu- liari.} quo sanguine venoso diversus; utpote non in venam cavam, sed in Hepar (Arteriæ in modum, uti supra pluribus ostensum) tendens, ibidemque particulas suas Biliosas deponens.

§. 39. *Tertio*, *Bilis Quantitas*, ^{3. A} *quæ*, singulis diebus in Hepate se- ^{Bilis Quan- titate.} questrata, ad intestinum fluit, tanta est, ut hæc sola facile superet omne illud, quod ab alvo naturaliter excernitur; absit verò, ut credamus, nihil nisi Bilem ab alvo deponi; cum præter illam, & à Salivâ deglutitâ, Lymphâ Gastricâ & Succo Pancreatico, Chylo ipso, nec non Liquore in Glandulis, per totum intestinale tubum dispersis, sequestrato, partes separentur crassiores, quæ unitæ, & inter se associatæ ipsa excrementa constituunt; *tanta* itaque *Bilis copia* in inte-

intestina delata, nec tamen ab alvo excreta, aliò deferri debuit; hanc autem ab osculis Venarum excipi putamus, uti porrò clarius demonstrabitur; interim probandum erat, Quantitatem Bilis, quæ quotidie in Hepate sequestratur, inque Duodenum deferitur, adeo notabilem esse, uti patet sequenti experimento.

Expe-
rimen-
tum
Quan-
titatem
probans.

§. 40. Die septimo decimo Mensis Decembris Anni elapsi 1691, Canis majoris *intestino duodeno* (per inflitum abdomini vulnus) *inciso*, Ductui Cholidochi tubulum alligavimus, tali modo constitutum, quali sanguinis transfusio felicissimo cum successu instituitur, alteram hujus tubuli extremitatem excipiebat vitrum oblongum, ut eò distinctius Bilis stillicidium nobis observari posset; vix omnia disposita erant, quin jucundo plane spectaculo observatum, Bilem alias in duodenum deferendam, jam stillando in vitrum nostrum delabi; sed quâ quantitate? præter expectationem

inem primis duabus horis Uncia Dimidia, tertiâ horâ iterum Dragma Duæ, quartâ, quintâ, & sextâ horâ ferè eâdem Quantitate, sed paulò minore; quod fanè mirum non est: eo enim tempore Canis jam languidior & sanguinis motus tardior necessario superveniens, hanc Bilis secretionem reddidit magis lentam. Si itaque singulis horis Dragma Duæ intestinum fubeant, ergo singulis octo horis Unciæ Duæ, & diei naturalis, id est, viginti quatuor horarum spatio, Unciæ Sex, sive Libra Dimidia.

§. 41. In homine verò, in quo In Homine major Bilis quantitas fecernitur. experimentum illud instituere religio vetat; omni dubio procul, tum propter corporis molem majorem, intestinorum longitudinem, & amplitudinem; tum propter Vasa Biliaria numerosissima, & Hepatis magnitudinem adeo notabilem, *Bilis major quantitas fecernitur*, atque separatur; imò si conjecturæ (sed admodum probabili) hic locus dandus,

c dus,

dus, ad minimum singulis horis (si
 non uncia dimidia) saltem Bilis
 dragmæ tres per Ductum Cholido-
 chum intestinum citatum subire de-
 bent ; & per consequens in Homi-
 ne singulis diebus Libra integra
 (quæ est Medica) vel secundum
 nostrum calculum , Unciæ novem
 excerni deberent ; verum , cum ne
 tot excrementorum Unciæ , ab al-
 vo in multis excernantur , nemo,
 ut credimus , affirmabit , tantam Bi-
 lis Copiam ab alvo deponi , sed ma-
 ximam ejus partem aliorum move-
 ri ; quocirca , præter alias jam an-
 te propositas rationes , vel hoc uni-
 cum circa Bilis Quantitatem expe-
 rimentum suadet , & commendat
Motum ejus Circularem ; quô-
 que modô autem illud contingat,
 quamque sibi eligat viam , jam su-
 pra propositum.

4. Ab
 Embry-
 onis
 Meconio.

§. 42. *Quartum* hoc loco adjun-
 gendum erat argumentum satis va-
 lidum *ab Embryonis Meconio* desu-
 mendum : nemo negabit , Bilem ma-
 ximam

kimam Meconii constituere par-
 tem ; sed quis nobiscum etiam non
 videt , longè majorem Bilis quan-
 titatem ex Foetus Hepate in intesti-
 num deferri , quam quidem illud
Meconium , in eodem intestino ob-
 ruium ? Concipiamus modo , singu-
 lis diebus tantum Unciam dimi-
 liam , in Hepate secretam , intesti-
 num versus amandari , necessariò
 sequetur , singulis mensibus uncias
 quindecim , & novem mensium spa-
 tio libras undecim cum unciis tri-
 bus intestinum subingredi ; cum ta-
 men *Meconii* dicti totus intestino-
 rum tractus , vix libram unam , aut
 alteram continere possit , hinc ne-
 cessario iterum recurrendum ad
Circularem Bilis Motum in Foetu ,
 eque ac in adultis obvium ; illà ta-
 men cum differentiâ , quod parti-
 culæ Bilis crassiores , in jam natis
 quotidie ab alvo cum excrementis
 reponantur : in Foetu verò eædem
 terrestres & crassiusculæ *Meconium*
 constituent ; dum magis mobiles

volatilesque , & cum poris Venarum Meseraicarum egregie convenientes , eisdem subintrant , & per Venam Portam in Hepatis acinos glandulosos delatæ , ab iisdem denuo poris Bilariis excipiuntur , tandemque in Intestinum Duodenum deferuntur.

5. A
Proportione
Bilis secretæ à
sanguine,

§. 43. *Quintò* , Cum inter sanguinem , & humorem ab ipso separandum , quædam sit proportio (habita ratione ad alias glandulas) quis poterit concipere , tantam Bilis quantitatem , ab arteriâ adeo exiguâ (quemadmodum est Hepatica) posse sequestrari? Sileo tantam Lymphæ copiam , itidem ab ipsa separandam , quocirca meritò in auxilium vocandus sanguis Venæ Portæ , quod iterum probandum erat.

6. A
diversitate Pororum.

§. 44. *Sextò* , Concipiamus totum corpus nostrum *porosum* , & *pervium* , ductibus , tam foràs intrò , quam intrò foràs , patentibus hocque manifesto constat in corporis nostri effluviis , per insensibilem

ilem transpirationem continuò ex-
euntibus ; nec non ex externè ad-
hibitis , Balneis , Fomentationi-
bus , Cataplasmatibus , Epicarpiis ,
Vesicatoriis potentioribus Litibus-
que Mercurialibus , à quibus
notabiles in sanguine producun-
tur mutationes , ut easdem hic re-
censere longum nimis foret ; quid
mirum itaque ? per Poros Venarum
Meseraicarum intro foras spectan-
tium Bilem nostram moveri , tam-
quam per vias , & propter calorem
partium vicinarum , & motum in-
testinorum peristalticum , patentio-
res ; quam qui in cute nostrâ oc-
currunt.

Si autem hosce poros , ut vias Flatus
ab inte-
stino
transit
in Ve-
nas.
atis patentes , distinctius quis exa-
minare desideret , Flatum ope tu-
buli in Venam Meseraicam immit-
tat , perget idem in intestina, illa-
que distendet ; quod semper verum
in subjecto Canino , in Humano
Merumque ; uti jam aliquoties vi-
dimus.

7. Pennata non
habent
Vasa
Lactea.

§. 45. *Septimò*, Pleraque *Animalia Pennata*, dum carent vasis lacteis, hinc chylus defertur per Venas Mesenterii; cur non item Bilis per eandem moveretur viam? præsertim si verum sit illud experimentum ab Anatomicis nonnullis propositum, de intestino Anserino; nimirum quod flatu distentum, idem liberè transeat in Mesenterii Venas. Sed dubium quis movere posset, cur eadem Bilis non æque subeat poros vasorum Lacteorum, utpotè patentiores; cui respondeamus, hocce unicè dependere à Varietate pororum tubulorumque has particulas admittentium, alia verò excludentium.

Morbi
Bilis
principales.

§. 46. Structura Hepatis, Bilis que secretionem, nec non ejus Motus Circulari, usuque adeo necessario tali modo propositis, & in naturali statu consideratis; *Morbos principales* saltem, eorumque Causas Prognosin, & Curationem proponemus, idque eâ, quâ possimus, brevitate

vitate, ne hæcce nostra Dissertatio, ultra assuetas Lemmatis inauguralis limites crescat; & primò quidem locò, notandus erit Bilis Defectus. Secundò nimia ejus Quantitas. Tertiò Qualitas vitiosa; & Quartò quatenus Motu peccat.

§. 47. *Deficit Bilis*, quando ^{Defectus.} massæ sanguinæ non, aut non sufficientes particulæ insunt Biliosæ, aut Pororum Biliariorum, in glandulis Hepaticis occurrentium, talis adest constitutio, ut Bilis partes eos subingredi nesciant, sed ante ostia quasi hæreant; vel quando particulæ hæ Biliosæ, aliis viscidis involutæ, non conveniunt cum Poris Bilariis, benè alioquin constitutionis.

§. 48. *Contrà, quantitate nimia* ^{Quantitas nimia.} peccabit Bilis, quoties sanguini plurimæ particulæ oleosæ, sulphureæ, &c. insunt; quæque à poris glandularum, seu acinorum Hepaticorum copiosius, quam par est, ex-

ceptæ , versus intestinum amandantur.

Qualitas
vitiosa.

§. 49. Eadem Bilis , *qualitate vitiosa* occurrit , quoties sanguis notabili intemperie laborat : qualis enim sanguis est , tales humores sunt à sanguine separati : nam fluidus si fuerit sanguis , & aquosus , talem etiam Bilem suppeditabit ; si volatilis , viscosus , glutinosus , acris , falsus , aut aliô modô male mixtus ; Bilis necessario volatilior , viscidior , glutinosior , acrior , falsior , &c. sequestrabitur.

Motus
depravatus à
Bile.

§. 50. *Motu Bilis peccare potest* , quando Circulatio ejus non rite procedit , & Bilis acrior in intestinum delata Duodenum , non Inferiora , sed Superiora versus fertur , & in Ventriculo varia incommoda , Ruëtus nimirum Biliosos , Ardorem , Vomitus Biliosorum , creat : vel quando Inferiora versus propulsa , sed Motu Citatiore Venarum Meseraicarum poros præterlabitur , & postquam varias in intestinis

stinis excitavit Tragoedias , Colicam Diarrhoeam , Dysenteriam , Tenesmum , &c. excernitur : Si eadem Bilis vitiosa Sursum pariter , atque Deorsum movetur , Intestina & Ventriculum simul afficit , Choleram Morbum inducit ; & pro varia morbosæ hujus Bilis constitutione varia supervenientia symptomata , hos illosve morbos intestinorum , aut ventriculi indicantia.

§. 51. *Motus etiam depravatur , à vitiosa intestinorum constitutione* , pororum scilicet , in intestinis occurrentium nimia Constrictione , Flacciditate , Rigiditate ; vel etiam venarum Meseraicarum Compressione , quæ frequenter quidem fit à glandulis Mesenterii obstructis , in tumorem elevatis , vel materia calculosa obsessis , & vasa dicta suâ mole comprimentibus ; vel denique , quando per venam portam in Hepar delata Bilis in acinis ejus glandosis non seque-

Idem ab aliis causis.

stratur; sed à furculis venæ cavæ, per Hepar dispersis, vasisque Lymphaticis excipitur; hinc majori copiâ sanguini permixta, variis Morbis ansam præbet; uti Febribus continuis, Ardentibus, Ictero, Ephe-
lidibus, aliisque Morbis Biliosis: tandem motu peccat Bilis, cum materia crassa, tenax, vel calculosa firmiter Pororum Biliariorum lateribus adhærendo, vias adeo angustas reddat, ut Bilis, alioquin per easdem deferenda, alias sibi eligat, & Oeconomiam Animalem mirum in modum turbet.

Calcu-
losa
materia
in Ducti-
bus
Choli-
dochis.

§. 52. Qui autem *Obstructiones* (ut reliqua præteream) à *materia calculosa in Ductibus Cholidochis*, & Calculi ipsi in Ductu Cystico contingant, hic enarrare debuimus.

Inspecto cadavere, Hepatis pars concava, variis locis, duritie notabili renitens, postmodum factâ separatione, non tumores scirrhosos, uti primò suspicabamur; sed Poros Biliarios mirum in modum
am-

ampliatos, & hinc illinc crusta calculosa obfessos exhibuit; ut difficile his in partibus aliqua potuerit fieri Bilis sequestratio; Pororum horum ex Hepate separatorum delineationem exhibet *Tab. II. Fig. I.*

§. 53. Unicus est, ni fallimur, *Glissonius*, qui in *Doctissimo Tractatu*, de *Hepatis Anatome*, cap. VII. *similia observavit*, & in paucis tantum à nostris discrepantia, inter alia notatu dignissima, hæc Clarissimus Vir habet: Tempore circiter Quadragesimæ, aut Paschatis, imò antea, in Jecinoribus Bovinis, sæpe mihi visi tubuli calculosi, tantæ longitudinis, ut (si modo integri eximi potuissent) plurimas Pori Bilarii ramificationes, continuatâ lapideâ serie, coralli instar retulerint: vasis autem tam firmiter agglutinantur, ut citra rupturam eorum, aut lapidis (sunt enim ambo friabiles admodum) separari inde ægre queant. Sunt hi lapides iis, qui in Vesica Fellea reperiuntur,

Similis
Obser-
vat. ex
Glissonio.

tur, planè congeneres, & figura solummodo discrepant; hucusque Glissonius. Nostra tamen Observatio in eo differt, quod Pori Biliarii, non ubivis, & continuatis tractibus, calculosis concretionibus essent obfessi; sed tantum quibusdam locis dilatati, & calculosa substantia vesicolori oppleti: nam hac in parte cinerei, in alia albicantis, in tertia iterum nigricantis erant coloris, ubivis tamen calculorum vesicæ in modum, duritie notabili donati.

Boves
Lapi-
deam
mate-
riam
ab alvo
depo-
nunt.

§. 54. Notandum præterea hoc loco venit, qui *Boves fragmenta lapidea*, quantitate nonnunquam notabili *ab alvo deponant*, dum ab assumpto alio alimenti genere, gramine scil. (hieme enim ejusmodi morbi oriuntur) fales, calculorum horum concretionem maximam partem constituentes, quodammodo dissolvuntur, per Ductum Cholidochum in intestinum propelluntur, & postmodum unà cum excrementis deponuntur.

§. 55.

§. 55. Quî verò mali causa, in ^{Galeuli} ipsa Vesicâ Felleâ, ejusve Collo, ^{octo in} hæerere possit, sequentes Historiæ ^{Vesicâ} testantur. ^{Felleâ.} Mulier triginta circiter Annorum, cæteroquin sana, in Febrem incidens intermittentem, de alvo non rarò queritur adstrictâ, excrementis licet utplurimum naturali colore tinctis; post varia, sed incassum adhibita, remedia, ingravescentibus Symptomatibus, diem suum obiit. Cadavere inspecto, invenimus *Cystim Felleam, tactu duriusculam, & octo diversæ, sed notabilis magnitudinis, calculis refertam*, quorum delineationem videre licet *Tab. 11. Fig. 2.* Rarum erat, Calculos hosce ossium Carpi in modum, propemodùm esse formatos, & latera cum vicinorum lateribus haud malè quadrare; gratissimum insupèr referebant colorem, Lapidi Besoardico haud absimilem; nisi quod paulo magis ad colorem accederent flavum.

§. 56. Haud absimilem casum ^{Cen-} hoc ^{tum}

quadra-
ginta
Calculi.

hoc Anno 1692. in Viro honestissimo Octogenario observare licuit , ex cujus Vesicâ Bilariâ (præter calculos in Renibus & Vesica repertos Urinariâ) *centum & quadraginta*, diversæ magnitudinis , & figuræ extraximus , cum Lapide Bezoardico , quod ad lævitatem , & colorem egregiè convenientes. Calculorum horum formam , & magnitudinem vide *Tab. 11. Fig. 3.* quæ licet non omnes , principales tamen ob oculos ponit. In utroque hoc patiente observatum , Bilis modicam quantitatem subintrasse intestinum , tam à parte Pororum Biliariorum , quam Vesicæ Felleæ , cujus Ductus , Cysticus dictus , ab his Calculis non fuit penitus obstructus , quod tamen facili fieri potuissent negotio , dum ex tanto Calculorum cumulo , unus , aut alter ex minoribus Vesicæ Collum , mox Ductum ingreditur , ibidemque hærendo , omnem Bilis ex Cysti Felleâ , egressum impedit ; uti sequens

quens casus confirmabit.

§. 57. Puella viginti quatuor An-
 norum Cachectica , Mensium la-
 borans obstructione , alvum habens
 ordinariò adstrictam , fæces , ob
 Bilis defectum , deponit colore fla-
 vo vix tinctas , tandem extingui-
 tur ; & ut reliqua omittam , Ve-
 sicam Bilariam , in magnitudinem
 monstrosam , imò ad crepaturam
 usque extensam invenimus ; & quid
 mirum ? Calculus orbicularis figu-
 ræ , superficie donatus tuberosa ,
 albicantis Coloris , quem æque ac
 reliquos , inter rariora mea asservo ,
 uti cuivis curioso ostendere possem ,
ita obturaverat Vesicæ Collum , cum
annexo Ductu Cystico , ut ne Bilis
 quidem guttula , è Cysti in Ductum
 expelli potuerit ; hinc necessariò
 Vesicula à Bile , per Ductus Late-
 rales continuò affluente , ita debuit
 extendi , & alvum segniozem pro-
 ducere ; Calculi hujus naturalem
 magnitudinem , Vesicæ collo fir-
 miter impacti , delineationem vide
Tab.

Calcu-
 lus hæ-
 rens in
 Collo.

Tab. II. Fig. 4. Si autem forte fortuna Calculus paulo ulterius propellatur , Ductumque communem subingrediatur ; duplex inde producitur malum : ita enim non tantum Bili Vesiculari , sed & Hepaticæ omnis præcluditur exitus ; qualia autem inde incommoda , ex antecedentibus satis colligi potest ; *Proba horum Calculorum* , id est , an revera Calculi ex Vesica Fellea sint , nec ne , est , quod hi Calculi igni admoti , flammam non tantum concipiant , sed & in Aquam projecti minime fundum petant , sed eisdem supernatent propter Bilis particulas oleosas hos Lapillos componentes ; quare non facile adducor , ut credam quod Petra del Porco , ex Vesica Fellea Aprinâ , utpote in Aquam projecta minime eidem supernatat , sed fundum petit ; notandum porro venit , quod hi Calculi , quo sint è Corpore Juniore , eo quoque esse remissioris , id est , pallidioris Coloris , & in Media ætate

Proba
Calcu-
lorum.

Diversi-
tas Co-
loris.

te

Cortic. Arant. ʒij.

Lig. Sassaf.

Gariop. an. ʒj.

Herb. Menth. Majoran.

Card. bened. an. pug. j.

Summit. Absint.

Centaur. Minor. an. Mß.

Sem. Cardam. min. ʒiß.

Concisis & contusis affunde Vin. alb. Gallic.

q. s.

F. Vin. Medicat. de quo pa-
tiens ter quaterve de die haustum sumat.

§. 61. Si verò Bilis *Quantitate* <sup>Quanti-
tas ni-
mia.</sup> peccet, illa est Evacuanda; & spe-
ciatim si à plethora, V. S. commen-
damus, vel etiam Cathartica Cho-
logoga.

℞. Elect. Cholag. Hydrag. an. ʒij.

Cremor. Tart. ʒj.

Syr. Cichor. c. r. ʒij.

Aq. ejusdem q. s.

F. Haustus.

Vel etiam Infusio sequens è Rha-
arb. ex usu esse potest. V. G.

℞. Rhab. elect. ʒij.

Tamarind. ʒiij.

Sal. Prunell. ʒij.

F. Infusio per noctem ex

Aq. Cichor. q. s. Colat. ʒiij. adde

d 2

Syr.

Syr. Cichor. c. r. ℥iij.

Aq. Cinam, ℥j.

F. Haustus.

Volati-
litas Bi-
lis.

§. 62. *Bilis Fluiditas*, *Volatili-
tasque* curabitur medicamentis, vel
etiam alimentis Austeris, sed pru-
denter adhibitis; uti sunt Mespil.
Immat. Mal. Cydon. nec non eo-
rum Caro. Omphac. &c.

Visci-
ditas
eius-
dem.

§. 63. *Viscidam & glutinosam Bi-
lem* corrigunt Medicamenta Inci-
dentia, & Attenuantia; qualia pos-
sunt esse Decoct. Mixtur. Tinct.
Pulv. &c. quæ pro vario Medici
Scopo & Ægri desiderio facile præ-
scribi possunt. V. G.

R. Aq. Cortic. Arant.

Fœnic. an. ℥iijß.

Spirit. Carminat. Sylv. ℥ß.

Sal. Armon. gt. xvj.

Sal. Volat. Succin. ℥ß.

Olei Garyophill. gt. iv.

Syr. Card. bened. q. s.

F. Mixtura Cochl. sumend.

Bilis
acrimo-
nia.

§. 64. *Bilis acrimoniam* tempe-
rant Medicam. Emollient. Oleos.
& Ping. uti Decoct. Emuls. Condit.
Tinct.

DE MOTU BILIS CIRCUL. 53

Tinct. V. G. Opii &c. *Salsior* diluenda hoc aut simili Medicamento.

℞. *Aq. Portul. Plantag. an.* ℥iiss.

Diascord. Fracast. ℥j.

Sp. Nitr. dulc. gt. xx.

Laud. Opiat. gr. j.

Syr. Borag. ℥vj.

F. M.

§. 65. *Pororum tubulorumque glandularum Hepaticarum obstru-* Obstru-
ctio
Glan-
dula-
rum.
ctio, si in causa sit, cur Bilis sequen-
stratio non recte procedat, tollenda
eadem per Medicamenta in Bilis
glutinositate proposita; nec omit-
tenda etiam externa Hypochondrio
dextro applicanda, uti

℞. *Gum. Ammon. acet. sol.* ℥j.

Tragacant. ℥iiss.

Empl. de Mucilag. ℥ss.

Sal. Ammon. ℥iiss.

Ol. Succin. q. s.

m. F. S. A. Empl.

§. 66. *Bilarii Pori, Ductus He-* Obstru-
ctio à
Calcu-
lis.
paticus Cysticusve, vel etiam Cho-
lidochus mediante *materia Calcu-*
losa obstructi, difficillimè resti-
tuuntur. An Vomitoria hoc in casu
aliquid valeant, quibus vehementi
d 3 vis-

viscerum agitatione pertinaces sæpe tolluntur obstructions, de iis nihil certi asserere audeo, sed anceps esse remedii genus libenter fatemur.

Ardor
Ventri-
culi.

§. 67. *Ventriculi ardor* quoties oriatur à Bile, illa est corrigenda, vel per Medicamenta Cholagoga, supra proposita, evacuanda; & in facile vomentibus, per blandiora Vomitoria, vel etiam Medicam. Nitrosa, ut Sal Prunell. Spirit. Nit. &c. ad aliquot guttul. ex Mixtura conveniente, potu ordinario aliquoties de die, exhiberi possunt.

Cholera
Morbus.

§. 68. In *Cholera Morbo* conveniunt vel Medicamenta ore sumenda, præcipue sub forma Boli, vel Pulveris; vel etiam Enemata aliquoties injecta Vel

Rx. *Corall. rubr. præp.*

Ocul. Canc. an. ʒij.

Boli Armen.

Terr. Sigill. an. ʒj.

Santal. rub.

Cinam. an. ʒß.

Misc. F. pulv. N°. viij.

de quibus æger singulis bihoriis
Dofin

Dofin fumat, vel fi mavult Bolum,
 addatur Conf. Ros. Rubr. Myv.
 Cidon. vel etiam Diafcord. Fracast.
 vel Confect. Hyacinth. &c. q. f.
 Clyft. verò potest effe talis. V. G.

℞. Rad. Alth. ʒvj.

Herb. Malv.

Bismalv. an. Mß.

Flor. Chamom.

Verbasc. an. p. ij.

Sem. Lini,

Fænugr. an. ʒij.

Concifa & Contufa Coq. ex Lacte dulci
 Colat. ʒviii. adde

Vitell. Ovor. No. j.

Theriac. ʒij.

Ol. Lil. albor. ʒvj.

F. Clyft.

Vel etiam simpliciffimus, quique
 femper ad manus est, fiat ex Lact.
 Dulc. Vitell. Ovor. Ol. Rosac vel
 Lin. Butyr. Insulf. q. f. hocque pro
 rei neceffitate aliquoties iterari po-
 test.

§. 69. *Dolorem Colicum* fedabunt ^{Dolor}
 Medicamenta vel ore affumenda, vel ^{Colicus.}
 ano injicienda.

℞. *Flaved. Cort. Arant.* ℥j.

Macis gr. xv.

Castor. gr. iv.

Laud. Opiat. gr. ij.

Ol. Anis. gt. iij.

M. Fiant pulv. N°. ij.

vel etiam sequens haustus

℞. *Ol. Amygd. dulc.* ℥vi.

Vin. Malvat. ℥β.

Laud opiat. gr. j.

Syr. Papav. alb. ℥ij.

M.

Diar-
rhœa
Biliofa.

§. 70. *Diarrhœa Biliofa* curabitur Medicamentis & alimentis acrimoniam Bilis temperantibus, & humores vitiosos, in intestinis contentos, leniter purgantibus specificis, & lenem adstrictionem post se relinquentibus, quale est sequens, V. G.

℞. *Rhab. leniter tosti* ℥j.

Nuc. mosc. tost. gr. xv.

Laud. opiat. gr. j.

Ol. Menth gr. ij.

M. F. Pulv. vel cum Conf. vel *Syr.* convenienti Bolus; vel etiam pil. sequentes tali in casu maximè conducunt.

℞. *Extract. Rhab.* ℥β.

Ol. Cinam. gt j.

M. F. Pil. N°. vij.

Mate-

Materia peccante hoc Medicamento leniter edueta, porro deveniendum ad magis adstringentia, V. G.

℞. Conf. Rosar. rub. ʒvj.

Diascord Fracast ʒiiij.

Terr. Sigillat. ℥ij.

Bol. Armen. ℥j.

Corall. rubr præp. ʒß.

Laud. Opiat. gr. ij.

Syr. Myrt. q. s.

F. Condit. de quo patiens aliquoties ad Nucis Moscat. magnitudinem sumat.

§. 71. *Dysenteriam* à Bile acriore & copiosiore, tollunt Medicamenta emollientia, detergentia, & consolidantia, Decocta vulneraria, Clysteres &c. vel etiam Conditum frequens, quod multis indicationibus simul satisfacit, & hujus illiusve ingredientis quantitas vel augeri, vel minui facile potest, prout hoc illudve intendimus. V. G.

℞. Conf. Ros. rub. ʒx.

Rad. Symph. condit. ʒvj.

Diascord. Fracast. ʒij.

Terr. Sigill. ℥ij.

Sarcocoll. pulv. ʒß.

Ther. Venet. in Vitell. Ovor. solut. ʒij.

d 5

Bals.

*Bals. Peruv. 3ß.**Syr. Alth. Fernel. q. s.**M. F. condit.*Tenes-
mus.

§. 72. In *Tenesmo*, præter interna, commendamus etiam externa, Linimenta scil. Suppositoria, Foment. ex oleos. pinguibus, terrestribus, acrimoniam temperantibus parata, uti Ung. Rosac. Popul. Ol. Amygd. Dulc. Papaveris &c. imò subinde ad Opiata confugiendum.

Pituita
Crassa.

§. 73. *Pituitam* vero *crassam* & glutinosam intestinorum lateribus adhærentem, vasorumque poros opulentem, emendant & expellunt pilulæ seqq.

*℞. Chalyb. præp. ʒij.**Extract. Cathol.**Gum. Ammon. acet. solut. an. ʒj.**Tart. Vitriol. 3ß.**Ol. Cort. Arant. gt. vj.**M. F. pil. N°. LX.*

de quibus æger aliquando Dosis capiat.

Febris
Conti-
nua.

§. 74. In *Febribus* *continuis* ple-
risque & Ardentibus, à Bile majori
copia sanguini permixta, oriundis,
magni usus est Decoct. Scorz. seq.

℞ Rad.

℞. Rad. Scorzon. ℥i℥.

Contraj. ℥iij.

Herb. Meliss. Mj.

Flor. Calend. pug. ij.

Rasur. C. C. ℥vj.

Tamarind. ℥℥.

Coq. ex s. q. Aq. com. Colat. ℥xxiv. adde

Aq. Prophyl. ℥℥.

Syr. Limon. ℥x.

Papav. errat. ℥vj.

M. F. Apoz.

§. 75. *Icterus* autem si oriatur à *Icterus*.
nimia sanguinis tenuitate, à Bile in-
flucta, primò Medicamentis modo
propositis sanguinis æstus tempe-
randus, deinde Medicam. Aperient.
& Perspirationem promoventibus
particulæ Biliosæ in corporis ambi-
tu hærentes sunt incidendæ, & at-
tenuandæ, & per Diaphoret. elimi-
nandæ. E. G.

℞. Aq. Card. bened. ℥iij℥.

Theriac. ℥iij.

Trochisc. de Viper. ℥j.

Lapid. Bezoard. gr. vij.

Syr. Card. bened. q. s.

F. Haust. aliquoties iterandus.

vel seq. Bolus sudoriferus.

℞. The-

℞. *Theriac.* ʒj.

Sal. vol. C. C. gr. xij.

Croc. optim. gr. vj.

M. F. Bolus.

Epheli-
des.

§. 76. Ad *Ephelides* vero ex *Fa-*
cie delendas conducunt Medicam.
Poros Cutaneos aperientia, & par-
ticulas Biliosas ibidem hærentes di-
scutientia. Cui inservire potest pro-
pria Saliva sæpius de die illita, vel
etiam Epithem. seq.

℞. *Aq. Flor. Sambuc.* ʒiij.

Ol. Tart. per deliq. ʒß.

Sp. Sal. Armon. gt. xvj.

M. & cum hoc liquore fa-
cies aliquoties abluatur.

§. 77. Hic itaque, *Lector Bene-*
vole, pedem figo, plura enim hoc
tempore addere non licet. Si erra-
tum alibi, hoc pro solito tuo can-
dore æqui bonique consulas rogo,
& hominem me esse cogites. Quod
superest, Deum Optimum Maxi-
mum supplex oro, ut omnia hæc
unice cedant in Nominis sui glo-
riam, & proximi salutem.

F I N I S.

Ta-




Fig. 2.

Fig. 1.




Fig. 2.



Tabulæ I. Figur. 1.

Hepar convexum exhibet.

- A. A. Sterni pars cum suis cartilaginibus.
- B. Mucronata cartilago.
- C. C. Hepar.
- D. Vesica Fellea.
- E. Vena Umbilicalis.
- F. Hepatis Ligamentum suspenforium.
- G. G. G. Lymphatica vasa dextri lateris, convexam Hepatis partem, & suspenforium perreptantia.
- H. Eadem Vasa resecta, ubi Diaphragma perforando ejus Lymphatica componunt.
- I. Lymphatica ex sinistra Hepatis parte prodeuntia, itidem suspenforium ejusdem lateris perreptantia.

Fig. 2.

Hepar concavum monstrat.

- A. A. Hepatis interna facies.
- B. Lobus Hepatis parvus.
- C. He-

62 FIGURARUM EXPLICATIO.

- C. Hepatis Fissura.
- D. Vena Umbilicalis.
- F. Arteria Hepatica.
- f. Arteria Cystica.
- G. Vena Porta.
- H. Nervi Hepatici.
- I. Vena Cava.
- K. Vesica Fellea.
- l. Ductus Cysticus.
- m. Ductus Hepaticus.
- n. Ductus Communis.
- o. Glandula Cystica.
- p. Glandula Major Portæ, aut Ductui Cystico, adfita.
- q. Lymphatica Cystica.
- r. r. r. Lymphatica ex parte Hepatis concavâ prodeuntia.

Tabul. II. Fig. I.

Poros Biliaris Calculosos demonstrat.

- A. A. A. Pori Biliarii.
- B. B. B. Expansiones Pororum.
- C. C. C. Pororum Membranæ incisæ & diductæ.
- D. D. D. Incrustationes Calculosæ.
- E. Du-

ea esse Coloris flavi, in provectiore
autem obscurioris Coloris, imo ni-
gricantis, sed quod magis est tunc
aliquando splendentes particulas
instar salium sibi admixtas habere.

§. 58. Bilis igitur morbis, eo-
rumque causis breviter ita propo-
sitis, ad *Prognostica* properamus; sed
cum à diversis causis morbi hi de-
pendeant, *variā etiam esse Pro-*
gnoseos speciem necesse erit: interim
eā planè omittere videamur,
sequeantia sunto. Ubi Deficit Bilis,
periculo non caret, quod motu in-
testinorum peristaltico eo diminu-
to, ipsum chylicationis opus ab-
solvi nequeat, & ita (præterquam
quod alvi adstrictæ causa existat)
osam Atrophiam inducat. Contra-
rium obtinet, quod tamen æque pe-
culosum, quum à Nimia Bilis
copiâ, intestinum solito magis sti-
mulatur, & alvus lubrica reddita,
tò nimis excrementa, alimentis &
chylis permixta, excludit, & ita
corpus enervat. Nec minori caret
d peri-

Pro-
gnosis
variat.

periculo , cum Qualitate Vitiosa existit , aut ex variis morbis supracitatis , evidenter constat. Denique Motu ubi peccat , non nisi varia mala , imo ipsam mortem inferre valet : quemadmodum varia damna , à variis itidem morbis oriunda , digito illud quasi demonstrant. Vide *Hippoc. Aph. 22. 23. & 42. Sect. IV. &c.*

Sic
etiam
Cura.

§. 59. Superest ad Curam nos accingamus , quæ pro causarum varietate varia iterum esse debuit : ubi enim Deficit Bilis , ibi Reparanda ; Qualitate si Vitiosa existit , Corrigenda ; Motu si peccat , Restituenda eadem Bilis erit ; simileque iudicium esto de reliquis Bilis Morbis.

Quid
in de-
fectu.

§. 60. Primò itaque Bilis defectum reparandum esse censemus Aromaticis , & potissimum Amari-
cantibus ; cui scopo præter alia interservire poterit sequens Vinum Medicatum.

℞. Rad. Calam. Aromat. Angel.
Irid. Florent. an. ʒj.

Cortis.

E. Ductus Communis.

F. Ductus Cysticus.

Figur. 2.

Octo Calculos diversæ formæ, & magnitudinis ex Vesicâ Felleâ humanâ monstrat.

Figur. 3.

Calculorum ex Vesicâ Felleâ itidem extractorum acervum proponit; de quo consule §. 56.

Figur. 4.

Cystin Felleam & Calculum, ejus collum obturantem, repræsentat.

A. A. Vesica Fellea.

B. Collum ejus.

C. Calculus Collum obturans.

d. Locus, ubi valvulæ occurrunt.

E. Vesicæ pars separata & pendula, ut Calculi situs dignosci posset.

F. Curvatura Ductus Cystici.

G. Ductus Hepaticus.

H. Du-

64 FIGURARUM EXPLICATIO.

H. Ductus Communis.

I. I. I. Lymphatica Cystica.

K. Glandula Cystica.

L.L. Lymphatica ex hac glandulâ tendentia in glandulam M. portæ adfitam; ex quâ in Chyli faccum se exonérant.

F I N I S.



Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 4.




Fig. 3.



